

















1678.

26. Ovestelius, Caspar : De pulvinari, morientibus non sub-  
trahendo.
27. Rothius, Henricus Balthas : De interventione tertii
28. Rath, Henr. Balthasar : De confiscatione statu-  
saria.
29. Rothius, Henricus Balthasar : De periculo et commodo  
in emptione vini
30. Rath, Henricus Balthas : Fama sepulcrorum.
31. Rath, Henricus Balthas : De eo, quod justum est  
circa domum cujusque propriam et suam.
32. Schilterus, Joh : De damnorum persecutione
33. Schilterus, Joh. : De rebus creditis si certum petatur  
ex mutuo.
34. Simon, Joh. Georg : Positionum juridicarum centuriae  
II miscellae.
35. Simon, Joh. Georg : Fustilianus hominis circa animam.
36. Simon, Joh. Georg : De thesauro.
- 37<sup>a et b</sup> Simon, Joh. Georg : De intimatiōne executio-  
nis capitalis 2 Inempt. 1678: 1679.



1678.

38. Simon, Joh. Georg : Lex : Si merces 25 § Culpa 4.  
2. Locat.

39. Simon, Joh. Georg : Jura statutorum -

40. Simon, Joh. Georg : De absolutioe in foro poenit -  
Textuali et contentio 20.

41. Struve, Georgius Adamus, Collegii jurisdi . . . Decanus  
ad solemnem lectionem cursoriam Theorici Meer-  
bachii invitat.

42. Struve, Georgius Adamus : De antidice p<sup>o</sup> die Selbsthülff

43<sup>a et</sup> Struve, Georgius Adamus : De p<sup>o</sup> die oblato.

44. Struve, Georgius Adamus : De citatione in genere  
ac in specie publica.

45<sup>a et</sup> Struve, Georgius Adamus : De mortificatione

2 Saempt. 1678 : 1751.

46. Struvius, Georgius Adamus : De jure divorhorum.

2 Saempt. 1678 : 1724.

47. Struvius, Georgius Adamus : De juribus liberorum.





y.

r

o

z

reffer

u

1154





28  
48





460.

1678, 35

211.

10

11

**JUSTITIAM.  
HOMINIS. CIR-  
CA. ANIMAM.**

PRÆSIDE.

**JOH. GEORG. SIMONE. D.**

DEFENDET.

**DETHARD. MEPPEN.**

NORDA. FRISIUS.

JENÆ. DIE. II. MAJ. A. C. M. DC. LXXVIII

---


TYPIS. MÜLLERI.












L. S.



Cripturus jura quædam, Lector benevole, *Animam* pro objecto supponentia, diu satis apud memet dubius extiti, an rem, admoto calamo, expeditioni darem, an verò ab incepto desisterem? Imprimis cum constet, Discursum hunc Philosophica non parum ferire pulpita, & extra Sphæram activitatis meæ Academicæ primâ fronte positum videri. At tamen, recollectis viribus, cognovi denique, non Physicum modò, sed Theologum pariter ac Medicum in animâ curandâ functionem invenire, neque non officium. Quapropter secundas hisce agere constituens Jurium insuper nostrorum latifundia rimatus sum, ex quibus hausto exoptabili solatio progressus feci in tantum, ut rem labore vix indignam censuerim, adstipulante pro possibili Docto-

A 2

rum



rum Legum & Moraliū catervā. De nobilitate certè *anima* & quod periculum *anima* faciat cessare consuetudinem, & ideò plurimum advertendum sit ad salutē animæ, dudum ante me pluribus docuit *Franciscus Vivius decis. 82.* De usu hujus doctrinæ in materiā nativitatē, præscriptionum, juramentorum, contractuum, factorumq; in civili vitā tractabilium praxis quotidiana affatim loquitur. Tacebo oblationem votorū pro animā, ludum intempestivum, testamentum cum adjuratione confectum, usuram, delictum, casum pro amico, judicis officium, & sexcenta alia, quæ recensere diem facerent. Commendo proinde Tibi, quicumq; fueris, impræsentiarum hoc de *Justitiā circa animam* thema, Tuumque amicū monere auscultanter expecto. Fateor quidem, plura, pro rei dignitate, me apponere debuisse quæsitā; ast tempore exclusus itinerisq; in Patriam necessitate compulsus *has* solūm *theses in transitu Musis Jenensib; consecrare potui*, volui. Dabis interea veniam confidenti ausui, addesq; Tuum, si placuerit, fortè limatus judicium. Vale.

Caput





## CAPUT I.

DE

# IIS, QUÆ JUSTA SUNT CIR- CA ANIMAM IN CIVILI- BUS.

### THESIS I.

**A**D materiam igitur ipsam nos accingen-  
tes nolumus multa de animæ dabilitate & existentiâ, de-  
que ejusdem definitione hîc formare quæsitâ. Physicos  
quippe hoc maneat officium, prout & illud, quod *ὀνοματολογία*  
concernit, ad Grammaticorum pariter & Logicorû pulpita desti-  
namus. Unica Justitia à nobis impostero considerari debet,  
sive *facultas illa moralis, vi cujus homo in principium sibi insitum  
activum aliquid potestatis exercere valere creditur.* Methodus au-  
tem nostra erit in futurum occupata, secundum Imperatoris in-  
tentionem, circa personas, res & actiones. Antequam verò id  
demus specialiter effectum, operæ pretium nos facturos credi-  
mus, si prius quæstionem discutiamus generalem: *An leges obli-  
gent animam?* Legibus certè, quas Naturæ vocant, animam te-  
neri indubium est. Cum enim homo ad imaginem DEI, quod  
in perfectâ Sanctitate & Justitiâ constitit, primitus fuerit condi-  
tus, ejusque, lapsus licet, particulam in moralibus, pro ratione  
infirmitatis suæ, retinuerit, ab obligatione utique nunquam a-  
nimam suam abstrahere poterit, si quando hujus sibi connatæ  
regulæ motus sentit, & ad inevitabile ac necessarium conscien-



in tribunal perducitur, *add. Francisc. à Victor. Relect. 13. de eo, ad quod tenetur homo veniens ad usum rationis. per tot. pag. 590. & seqq. & Dn. Sam. Pufendorff. Tr. de Offic. homin. & civ. juxta Legem naturalem, per tot.* In Jure, Gentium quod dicunt, ex ratiocinatione quippe primitus enato, idem, quod de jure naturæ tam publico, quam privato, obligandi vinculum, tametsi suo modo subordinatum, præsumo. Major lis oriri poterit de Jure Civili, an scilicet ejusdem leges animam stringant? Pro *negantium* sententia facere posset (1.) quia LL. civiles externam saltem desiderare dicuntur obedientiam; cum per actus internos, qua tales, Respl. non lædatur, hinc de iis nec LL. ferre necessum est, *vid. Ludwell. Disp. 1. th. 4. in fin.* (2.) quia potestati civili nihil juris in animam competit, utpote quæ solius DEI subjecta est dominio, *Matth. 10. Luc. 12.* ubi Salvator noster illum esse timendum docet, qui *Animam* perdere potest, non verò magnoperè illos formidandos, qui corpus solum occidere atque interficere valent. Unde fluit (3.) quod LL. civiles nullam in *Animam* facere possunt executionem; Jam verò otiosæ sunt LL. executione destitutæ. Verùm, his non obstantibus, *affirmativam* amplecti placet sententiam, quia (1.) LL. toti dantur homini; homo autem anima & corpore constat. (2.) Quia omnes actus externi ab animâ trahunt originem; hinc absurdum esset, solum respicere effectum causâ neglectâ. (3.) Quia, juxta Apostolum, omnis *Animam* subjecta debet esse potestati Civili, quæ in terris vicariam DEI gerit potestatem: Ergo & LL. Civilibus Anima subjecta est. Sed hæc procedunt, in quantum LL. Civiles nihil contra divinam præcipiunt voluntatem. Vicariis etenim contra superioris sui LL. nequicquam statuere indultum. Rationes dubitandi quod attinet, respondemus ad (1.) LL. civiles non considerare actus internos, nisi influant in externos: tunc enim simul in æstimationem veniunt, non sui propriè, sed actuum externorum, qui inde meriti sui accipiunt qualitatem, *vid. Grot. l. 2. c. 20. §. 18.* Ad (2.) dicendum, itidem potestati quidem civili in animam, quæ talem, & quatenus non progreditur ad operationes externas, nihil juris competere, utique tamen, quatenus hæc actus corporis

ris



ris dirigit atque præcipit. Ad (3.) objectionem reponimus, illam planè nihil obstare: licet enim in animam ipsam fieri nequeat executio, potest tamen fieri in corpus, propter actus in animâ operatos. Et hinc in homine sufficit, executionem dabilem esse, licet non in singulis ejus fieri possit partibus, *add. Dn. Struv. S. J. C. Ex. 1. th. 42. in fin. Dedekenn. Consil. Theolog. vol. 2. Sect. 1. num. 10. pag. 2. & sect. 2. p. 31. n. 1. & seq.* Animam aliàs ad justum obligari, abstracto Deo & civitate, voluit Grot. *de J. B. & P. Proleg. I. 11. ibiq.* Dn. Pras. cum quibus facio.

## Th. II.

Hiscæ præmissis occurrit *Jus Personarum*, de quibus notum, alias esse natas, alias nascituras; *hæ an animam habeant, queritur?* Affirmatur; quia habent vitam, ex vitâ autem colligitur anima, utpote causa ex effectu. *Quò autem tempore fœtus animam accipere, sive vivere in utero incipiat, quæstio est satis controversa.* Contendunt multi Physicorum mox à conceptionis momento vitam adesse; alii à contrario stant; alii denique rem dubiam relinquunt. Quoniam igitur de vitâ hæc, propter opinionum varietatem, directò constare nequit judici, magis positivum tempus desiderarunt Jcti, *vid. Dn. D. Stryck. Tr. de Jur. Sens. Diss. 6. c. 4. n. 37.* Quare ad dubia hæc tollenda partum vitalem post dimidium tempus gesti uteri statuit Serenissimus Elector Saxonæ, *vid. Carpz. p. 4. C. 4. D. 2.* Neque usu quæstio hæc destituitur. Nam si non vixerit partus, neque pro homine erit habendus, & per consequens, si quæ procuraverit abortum, ordinariâ non affici poterit pœnâ. *An verò ex hæc embryonis, in utero materno adhuc constituti, vitâ probabiliter quoq; colligi possit anima rationalis, non una omnium est sententia.* Putamus tamen, omissis aliorum placitis, in puncto Juris nostri quod sic: talio quippe moralis, vi cujus abortum vivum procuranti ultimum supplicium dicitur, aliàs legitime sese non haberet, si pro dissolutione animæ vegetativæ & sensitivæ, intuitu abortus, dissolutio animæ quoque rationalis, respectu delinquentis, sequi debeat, de quo latius conferatur *Carpzov. pr. crim. p. 1. q. 11. p. 1. Pluribus simul eodemq; casu extinctis, quis citius, quis potius animam ex balasse censendus sit, per diversarum opinio-*  
num



num inductionem tractavit *Menoch. lib. 6. presunt. 50. per tot.* accuratorem tamen disquisitionem instituisse mihi videtur *Paul. Zach. Qq. Medic. Legal. l. 5. t. 2. q. 12. per tot.* quò benevolum Lectorem remitto. De cetero ille, qui in utero est, pro homine quidem & pro jam nato habetur; sed in effectu non aliter, nisi (1.) nascatur vivus, *l. 12. ff. de liber. & posthum.* quia aliàs fictionis ratio cessaret. Neque interest, exfectus fuerit ex utero, nec ne, *d. l. 12.* modò integer fuerit natus, h. e. totus ab uterò separatus maternò, *l. 3. C. de posthum. ibiq. Brunnem.* Sic porrò nil facit, an supervixerit, an mox decesserit, licet vox non fuerit audita, *d. l. 3.* quòd malè requirit *Joh. à Sande, in Decis. Fris. l. 4. t. 8. Def. 8.* quia ex vagitu quidè rectè inferitur vita; sed malè ex ejus defectu mors, *vid. Dn. Stryck. Tr. de success. ab intest. c. 2. art. 1. §. 10. Brech. ad l. 29. de V. S.* quia vita non solum vagitu, sed & motu, respiratione aliisq; probari potest modis (*add. Carpz. Jpr. Forens. p. 3. c. 17. d. 19. n. 6. & seq. Dn. Pras. Dissert. de Tempor. Prescript. th. 14.*) quamvis hi posteriores nonnunquam fallere queant, ut probè annotavit *Joseph. Mascard. de probat. Conclus. 1151. vol. 3. num. 14. pag. 55.* potest enim mortuus etiam aliquando & per accidens aperire oculos, attrahere tibiam aut brachium, fortè propter debilitatem nervorum; potest insuper emittere aërem ex pulmone, & tamen non sequitur, ipsum propterea vivum esse natum. (2.) requiritur, ut in utero constituti justò nascantur tempore, de quo *l. 12. ff. de stat. hom. Nov. 39. c. 2. l. 3. §. II. ff. de suis & legit. hered. Dn. Stryck. d. l. §. II.* Quamvis etiam mense quinto & sexto partus vitales & legitimos nasci posse per multa exempla probet *Schenck. observ. Med. lib. 4. Rubr. de Partu. pag. 636. & seqq. qui & pag. 616. item pag. 639. & seqq.* varias historias natorum mense undecimo, decimo tertio, decimo quarto, decimo quinto, decimo octavo, vigesimo tertio; quid? post biennium, triennium & quadriennium refert & suis competentibus Autoribus confirmat, *add. Zach. Qq. Medic. Legal. lib. 1. tit. 2. à quest. 2. ad q. 7. exclusivè. pag. 31. 32. & seqq.* Potuisset igitur ex hac hypothese melius defendere responsum suum Parlamentum Gratianopolitanum A. C. 1637. Mens. Febr. quam ex fortis imaginationis prætextu,



textu, quē meritò Sorbona Parisiensis in suā reformatione taxavit,  
vid. *Zarßd. Schauplatz Lust und Lehr R. G.* part. 7. num. 152.  
pag. 193. Dn. *Amman, Med. Critic. Disc. ad cas. 44.* Aliàs nov. 39. c.  
2. singulariter restringit *Hahn, ad Wesenb. de Stat. Homin.* pag. 69.  
Porro (3.) desideratur, ut non nascantur monstrosi, quales non ha-  
bentur in jure nostro pro hominibus, l. 14. ff. de Stat. hom. quia  
nullius usus in Rep. esse possunt, hinc æquis commodis cum ali-  
is, qui Reip. aut jam profunt, aut quondam prodesse poterunt,  
meritò non gaudent. Sic hereditatis sunt incapaces, vid. *Brun-  
nem. ad l. 3. C. de posth. n. 13.* Ubi verò de pœnâ vitandâ agitur,  
non nocent monstra, & ita capienda l. 135. ff. de V. S. ubi *Gæddens.*  
pag. 966. Sunt verò monstra, quæ formam non repræsèntant hu-  
manam; quum juxta *Bald. ad l. 2. pr. C. de Posthum. Hered. sola*  
anima non faciat hominem sine ejusdem corporis perfectione.  
Formam autem hanc regulariter (fallit enim aliquando, *Zach.*  
l. 7. tit. 1. q. 4. n. 14. 15. & fin.) ex capite colligunt Jcti, utpote ho-  
minis membrò principaliori, l. 44. ff. de Religios. à potiori namq;  
arg. l. 10. de Stat. Homin. facienda denominatio. An verò mon-  
stra animam habeant rationalem, & an per consequens baptizanda  
quoque sint? res altioris videtur esse indaginis, exquæ circum-  
stantiis accuratè considerandis decidenda, de quibus prolixius  
vid. *Dissert. sub Dn. Presid. de Jur. obstetric. th. 34.* Interim com-  
muniter apud nostros receptum est eruditos, ut in dubio, si  
externa forma adsit humana, etiam pro internâ præsumi debe-  
at. hinc partus, simiæ repræsèntans faciem, pro homine erit habendu-  
sus & per consequens pro instructo rationali animâ: quia hic par-  
tus saltem deformem ac vitiosam humanæ formæ habere vide-  
tur dispositionem: mentiuntur quippe Simiæ quodammodò faciei  
humanæ similitudinem, vid. *Gædd. ad l. 129. de V. S. pag. 921. & seq.*  
Sed procedunt hæc, si talis partus nascatur ex homine: aliàs  
si ex bruto, absque commixtione hominis, quid nascatur homi-  
nis repræsèntans formam, pro homine non erit habendum. Ast  
ubi de hâc sodomiticâ hominis cum bestiâ pollutione constat,  
judicavit Facultas Theologica Jenensis pro homine, si caput  
humanum cum quibusdam membris eidem correspondentibus  
B. adfu-



adfuert, *in verb.* Wann aber ex concubitu cum bestiis die  
Mißgeburt herrühret / &c. halten wir dafür / wofern das  
Haupt eines Menschlichen Hauptes Gestalt hätte / daß &c. die  
Lauffe einer solchen Mißgeburt mitzutheilen / in Ansehung /  
daß das Haupt ist sedes animæ rationalis, und weil dasselbe  
eine formam Menschliches Hauptes hat / ist daher abzunehmen /  
daß in denselben partu monstroso eine Menschliche vernünftis-  
ge Seele vorhanden / *vid. Dedekenn. Consil. Theolog. vol. 1. part.*  
*2. lib. 1. sect. 3. num. 7. pag. 429.* qui tamen laudatæ Facultatis in  
puncto baptismi monstris hisce tribuendi cautelam quandam  
restrictivam ( si scilicet solum caput humanum corpori per to-  
tum ferino impositum reperiatur ) *in fine* cum distinctis exem-  
plis adiecit, *add. Paul. Zachias in Qq. Medico-Legal. l. c. n. 5.*  
Occasionaliter quæstio agitari posset : *an Infantes ex Demonis*  
*congressu cum magis aliisq; suis mancipiis nati, animam habeant*  
*humanam, & per consequens pro hominibus sint habendi ?* Sed de  
hâc, posito, quod semen humanum aliunde à Diabolo subtra-  
ctum fuerit vitale, videatur affirmativa decisio *Dn. Presid. Tr. de*  
*Impotent. Conjug. cap. 5. th. 2. num. 19. & seqq. pag. 91. Jodoc. Dam-*  
*houder. Prax. Crimin. cap. 98. num. 34. pag. 293.* Vagiones quod at-  
tinet atque Campfores, vulgò Wechselbalge / legantur de his *Dis-*  
*fert. sub D. Schröter. b. m. de Lamiis, q. 6. per tot. & plur. Dd. ap.*  
*Dn. Freid. Qq. Consc. de Venef. q. 75. & 159.* ex quibus constabit,  
eos meras esse illusiones Satanicas & corpora minimè huma-  
na, sed aliunde ab impostore vaferrimo composita; quod etiam  
dixeris, de præstigijs loquelâ aliisque effectibus. Ut proinde  
de animâ rationali hîc planè nihil præsumi queat. De bicipite  
certum est, ipsum in jure pro homine esse habendum; Ast *an*  
*gemina sit instructus anima, & an geminandus sit inde Baptismus*  
*ipseq; insuper ad ferendum testimonium duplex admittendus,* dubi-  
tatur? Putamus nos, interdum geminam hîc adesse animam,  
quod haud obscure ex diversis colligi potest operationibus,  
cum una eademque anima, uno eodemq; loco, modo & tempore  
contraria velle nequeat. Exempla prostant in *Francisci Schaus-*  
*bühne*



būhñe part. 7. ubi dum alterum bicipitis caput precēs fudit, al-  
terum maledictiones evomuit, *add. Zach. l. c. q. 5. n. 1. & seqq.*  
Si proinde gemina, uti hīc supponitur, adest anima, duplex pro-  
cul dubio non solum testimonium in jure concedendum, sed  
& geminus baptismus adhibendus, atque per consequens pa-  
trinorum etiam numerus erit duplicandus; quo de numero,  
per jura & locorum observantiam variato, consulenda *Dissers.*  
*de Jur. Patrino. sub Dn. Præs. cap. 3. th. 4. 5. & seqq.* Exinde  
quoque colligendum, *an biceps, (non secus ac duplici corpore præ-*  
*ditus) in jure unicam saltem, an verò duas capere queat hereditatis*  
*uncias?* Petitionem quippe principii in se continet, quod bi-  
ceps in jure pro simplici saltem reputetur homine, uniusque  
modò hominis functiones in Rep. expedire possit. Nisi casus  
maximè fuerit dubius, ita ut non constet, an utrumque caput  
perfectâ ratione utatur, an verò unum alteri tantum ut rudis  
quædam carnea moles adjaceat sive appendeat; jungatur  
Responsum *Leonhard. Hutter. ap. Dedekenn. l. c. num. 6. pag.*  
*428.*

### Th. III.

Vidimus hætenus, quomodo homines in Statu dividantur  
*Naturali*; Sequitur ergo Status *Civilis*. In hoc verò alii sunt  
servi, alii sunt liberi. Quæritur proinde, *an etiam Anima sit*  
*subjecta servituti?* Resp. *directè* quod non; quia Anima nobilior  
spiritus est, quàm ut servitutis cuniculis includi queat. Hinc  
licet corpus servitutis ergastulum egredi nequeat, spiritus ta-  
men, quaqua volet, liber meabit. Sed quia interim servitus to-  
tum stringit hominem, eidemque certos actionum limites po-  
nit, inde & anima impeditur per corpus actus exerere suos. Hinc  
*per indirectum* & quoad actus externos etiam servituti subjecta  
dici potest anima. Ideoq; vanum in foro videtur esse, quod de per-  
petuâ animæ libertate clamitant. Qualis enim est libertas, quæ ste-  
rili absumitur speculatione, ad actus verò civiles externos nunquã  
progredi valet? Sed quæstio hæc in actu signato vix hodiè est u-  
tilis, quia servitus Romana, ut in vulgus notum, apud Germa-  
nos



nos exspiravit, derelicto modo (præprimis post A. C. 1200.) ejus analogo, homines proprios concernente, de quo distincti Jctorum Tractatus in publicum sunt editi. Ansam non minimam ad hanc desuetudinem dare potuit minus ex congruo à Pontificiis & Canonistis huc applicata assertio, quod sc. Christus omnium æqualiter redemerit animas, & quod in ipso, juxta Apostolum, sit nec servus, nec liber. Hinc quodammodo inconueniens visum fuit, esse omnes fratres & unius Corporis mystici membra, & tamen quosdam durâ servitute premi, *add. Less. de J. & J. l. 2. c. 5. dub. 4. n. 12. pag. 35. Rittershus. de Different. J. Civ. & Canon. l. 1. c. 20. pag. 40.* Cæterum an materia de servis adhuc usum quendam suppeditare valeat, *vid. ap. Hahn. ad Wes. tit. de stat. hom. n. 5.* Ad nos enim principaliter non spectat, uti nec illud, an è Rep. sit servitutem esse sublatam. Id tamen certum est, si adhuc apud nos vigeret, sublato nimio abusu, moderata servitus Romana personalis, non tam facilè rem nostram familiarem posse perturbari, neque Reipublicæ tot suppliciis, opus fore ad coercendos eos, qui libertatem etiam extremâ emere egestate & sceleribus quibuscunque sustentare amant atque gaudent, *Dn. D. Becmann. Medit. politic. Diss. 10. S. 4. circa fin.*

#### Th. IV.

Altera personarum divisio est, quod vel sint sui, vel alieni Juris; quales sunt vel sub dominicâ vel sub patriâ potestate: hanc posteriorem denuò secundum jus Romanorum antiquius & rigorosum introductam optat *Bodin. de Rep. l. 1. c. 4. pag. 34. cui se opposuit Dn. Osland. in not. ad Grot. l. 2. c. 5. S. 7. pag. 731.* Nostrum judicium *ex th. precedent. in fin.* traditis desumi poterit. Patriam autem potestatem consequimur vel ex nuptiis, vel ex legitimatione, vel certo modo ex adoptione. Hinc circa matrimonium saltem quæstionem paucis lustrabimus; *an hoc, formaliter consideratum, sit conjunctio etiam animarum maris & femine?* Aff. quia si sola esset conjunctio corporum, non multum differret à stupro, incestu & adulterio. Et hæc quidem animarum conjunctio, quæ per consensum constituitur, *l. 30. ff. de R. J. perficit*



ficat matrimonium, sed ad ejus consumationem non sufficit; ad hanc quippe corporum requiritur conjunctio per copulam carnalem. Hinc simul ac de consensu legitime interpositio constat, matrimonium est perfectum pariter, ut emptio - venditio perfecta est, simul atque consensus de re & pretio certo est interpositus (matrimonium namque contractus nomine venire posse, evictum inveni in *Dissert. sub Dn. Presid. de Amor. Venenat. th. 25.*) licet res nondum tradita, nec pretium solutum sit, vid. *Ludwell. in Comm. Instit. ad §. 1. de patr. potest. & ad l. 30. de R. J. add. Dn. Ziegl. ad Lancell. l. 2. tit. II. §. 1. verb. quibus substantia. p. 415.* Sed hæc leviora sunt. Majoris momenti videntur, quando quæritur (1.) *an sponsalia clandestina jurata animas s. conscientiam contrahentium obligent, posito, quod parentes consentire nolint? Quod negatur: quum juramentum sequatur naturam actus, cui adjicitur; atqui hic est tam vitiosus, quam odiosus; ergo. Peccant igitur hi contrahentes temere jurando, non verò juramentum servare tenentur, quippe super re non suâ, sed parentum, præstitum. (2.) An animæ s. conscientie parentum, jurato contestantiū se non compromissuros in nuptias liberorum, stringantur adeo, ut nec pœnitentes ex post facto consensum suum adhibere queant? Resp. (a) negando, si hoc juramentum fuerit ex præcipitantiâ, incogitantiâ, aut alio quovis insufficiente principio subortum; quoniam hoc impedit liberorum felicitatem, boni publici promotionem, Dei que eventualem gloriam: (b) affirmando, si causa fontica, propter quam primitus jurare voluerunt, adhuc duret; quum & absque juramento liberorum suorum salutem conscientiosè parentes observare teneantur. Eandem distinctionem, mutatis tamen mutandis, adhiberemus (3.) quando quærent, si quis spontè contraxisset sponsalia cum personâ quadam, suamque animam, si fœdis fragus fieret, diabolo devovisset; an, meliore conditione oblata, pœnitere, aliamque ducere valeat? ut ut sciamus rem aliter decisam reperiri ap. *Dedekenn. vol. 4. sive append. nov. num. 2. pag. 802.* Huc referendum (4.) an quoad forum animæ s. conscientie excusanda sit, que major 25. annis, sæpius frustra tentato patris consensu, viro honesto sua que personâ digno nubit; imprimis si pater, solâ suâ potestate inni-*



*Ubi, nullas praeagnantes dissensus causas afferre queat? Resp. quod*  
*hic, arg. l. 19. ff. de Rit. Nupt. addas, si lubet, Hahnium ad Wesenb.*  
*de Sponsal. num. 4. ubi elegans Theolog. & J. Cror. Helmstad. respon-*  
*sium refert. (5.) An possint absque animae periculo jungi extremè*  
*vetula & florens juvenis? colligere valebis ex Carpov. Jpr. Con-*  
*sist. lib. 2. tit. 1. def. 13. n. 2. utut, hoc matrimonium planè non con-*  
*cedendum, per admodum plausibiles rationes (inter quas prin-*  
*cipalis finis carentia & metus corruptionis feminis virilis aliàs*  
*ad generationem apti) contendat Paul. Cypr. de Sponsalib. cap. 9.*  
*§. 8. n. 16. Id genus alia quæ sita tibi Consistoriales & Casuistæ*  
*subministrare valebunt: nobis pro nunc animus non est plura*  
*de Jure personarum addere, (v.g. an tutor aut curator in pu-*  
*pilli aut minoris animam jurare; an pupillæ minoris animam*  
*despondendo obligare possint? &c.) sed properamus ad Jus rerum.*

### Th. V.

Quoad *Jus Rerum* ante omnia earum divisio notanda, ubi  
 constat, inter alias divisiones esse quasdam res Sacras, Sanctas,  
 Religiosas. Hic saltem de Religiosis quædam facienda verba. No-  
 tum verò est, hodiè non amplius privatis locū facere licere reli-  
 giosum, sed illum autoritate constituendū esse publicā, qui Cœmi-  
 terium audit. *Carpov. Jpr. Consist. l. 2. d. 385.* Hæc Cœmiteria juxta Jus  
 Canonicū solenniter quoq; consecranda sunt per Episcopum, *c. 4.*  
*x. de Religios. dom.* Rationem addit *Lancell. in Inst. Jur. Can. l. 2. t. 24.*  
*§. 1.* ne defuncti à spiritibus vexentur immundis. Consecra-  
 tionem enim dæmones fugare credunt. Verū hoc ipso in Gen-  
 tilismum prolabi Lancellottum, benè notat *Dn. Ziegl. in Not. ad*  
*d. l. pag. 572.* Mirè enim timebant Gentiles & averfabantur lu-  
 ctuosa & busta, quod in iis oberrare umbras mortuorum existi-  
 mabant. Et proinde frequentata magis ad Animarum E-  
 vocationes & Incantationes, Dæmonesque circa sepulchra, ut  
 defunctos vexarent, obversari credebant. At verò de anima-  
 bus & Corporibus piè defunctorum melius sperare jubet fides  
 Christiana. Corpora etenim in dormitorio suo perpetuā gau-  
 dent quiete, usque ad resurrectionis diem. Animæ verò in  
 manu DEI sunt, exspectantes gloriosam corporis resurrectio-  
 nem,



nem, *Apocal. 14. v. 13. Coloss. 1. v. 12. Luc. 16. v. 25.* Ideoque vanus metus est, Animas à Dæmonibus vexari posse, & ob hanc causam Cœmeteria consecrare opus minimè est. Dicuntur quidem (pergit *Dn. Ziegl. l.c.*) *Marc. 5. vers. 1.* Dæmones versari in sepulchris, sed faciunt hoc ad decipiendos homines, quibus, ut *Chrysof. hom. 29. in Matth.* quem laudat *Dn. Ziegl. d. 1.* statuit, perniciosam ingerere conantur opinionem, quod hominum defunctorum animæ Dæmones fiant: & licet interdum clamores audiantur, talem animam esse, hæc tamen oratio, inquit *idem Chrysof.* à fraude & deceptione diabolicâ est. Non anima defuncti est, quæ dicit, anima talis ego sum, sed Dæmon, qui hæc, audientes ut decipiat, fingit. De evocatione sacrorum (manium juxta quosdam sive animarum) ab iis peractâ, qui locum liberare religione voluerunt, paganismoq; sub hoc latente *vid. Giphani. Justinian. Magn. pag. 63. add. Revard. 2. conject. 17. Macrobi. Saturn. l. 3. c. 8.*

### Th. VI.

Sed & id, quod de oblationibus pro animabus huc trahi poterat, ferè intactum relinquimus, nisi quod ab usualibus sive manualibus oblationibus, quarum usus antiquissimus, originem suam nummos missales, **die Opffer-Pfennige** (qui in pagis pastoribus certo tempore offerri solent, partemque salarii suppleant) traxisse didicimus ex *Dn. Ziegl. ad Lancelot. l. 4. t. 7. §. 2. Corvin. in Jure Canon. libr. 2. r. 40. Augustin. Barbof. de Jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 23. n. 2. & seq. Carpz. Jpr. Eccles. l. 1. def. 105.* Hæres enim tenetur exonerare animam defuncti, *c. fin. de Sepult.* Hæc interim oblationes, uti à Pontificiis explicantur, nullius sunt usus: quia defunctorum animæ aut sunt *in manu Dei*, & ita oblationibus non indigent; aut sunt *in inferno*, & ex hoc nulla pecuniaria aut quævis impofterum alia datur redemptio.

### Th. VII.

Rerum Divisiones insequuntur modi acquirendi rerum Dominium. Hi verò modi alii sunt Juris Gentium, *de quib. l. 1. Inst. de R. D.* alii Juris Civilis. Et hi iterum vel sunt universales,



sales, vel particulares: horum statuunt quatuor, Præscriptio-  
nem, Donationem, Legatum & Fideicommissum particulare:  
Hic illud investigabimus, *an quis citra animæ periculum Præscri-  
ptione uti possit?* Videtur quod non, quia (1.) nemo cum alteri-  
us damno locupletari debet, hoc verò quoties fit, toties anima  
conjicitur in periculum: inde fluit (2.) quia qui rem præscribit  
alienam, eam detinet; hoc verò qui facit, iterum animæ subit  
aleam. (3.) Quia improbum est remedium præscriptio, *Nov.*  
*9.* Verùm *affirmativa* nobis arridet (1.) quia præscriptio suis  
munita requisitis nihil mali habet: (2.) quia LL. autoritas alte-  
rius dominium ex urgente causâ adjudicat; ne nempe litium  
infinita daretur seges, si res tanto temporis lapsu, aut jam apud  
quartum vel quintum possessorem, qui ipsam iusto titulo, & for-  
tè oneroso, est consecutus, existens in incerto remaneat: (3.) quia  
rem suam tanto tempore non repetens ipsam pro derelicto ha-  
bere censetur. Hinc non malè Canonistarum rationem ridet  
atque exagitat *Joh. Petr. de Ferrariis in Prax. t. 4. n. 44.* dum ita  
scribit: *Nec obstat, quod periculum animæ versetur, quia ista ra-  
tio, salvâ reverentia, est multum fatua, cum per ea sequerentur  
multa absurda, & totaliter esset destruere legum potestatem & au-  
toritatem & per consequens vires imperii attenuare, imò funditus  
annihilare, vid. Dn. Ziegl. ad Lancellot. lib. 1. t. 2. §. 4.* Inde facilis est  
responsio ad dubitandi rationes. Namque (1.) quod attinet,  
respondemus, ipsam concedi in *thesi*, negari verò in *hypothesi*.  
Hoc enim casu nemo cum alterius damno locupletatur, quia  
damnum, quod quis sua culpa sentit, sentire non videtur; ideo-  
que hîc in juris effectu nullum subest damnum. Ad (2.) Resp:  
itidem negando; nulla enim res invito detinetur domino, quia  
legum voluntas alterius superat voluntatem; & quia, qui rem  
tantò neglexit tempore, pro derelicto eam habere censetur.  
Ergo præscribens rem detinet cum alterius voluntate, si non  
expressâ, certè tacitâ atque præsumtâ. Ad *Nov. 9.* Resp. vel  
ipsam non esse Justiniani, *arg. c. ad audientiam. 13. cum seq. x. de  
Præscript.* quod multis videtur, ideoque nullam habere obli-  
gandi vim, *vid. Sittmann. Nucl. Pand. ad l. 41, tit. 3. in fin. vel ibi-  
dem*



dem loqui Imperatorem de malis, qui abutuntur præscriptione: Nam si non adfuerint b. f. & reliqua requisita, utique malum poterit dici præscriptio, *add. elegant. Hugo de Roy, de eo, quod justum est, libr. 3. per tot. & Dissert. de Tempor. Præscript. sub Dn. Præsida. th. 5. & seqq. ubi plur. alleg. Dd.* Jucunda quoque sunt, quæ de præscriptione animæ ex fundamentis Juris nostri pro & contra proposuit *Ayres. Histor. Process. Jur. part. 1. cap. 9. & seqq.* quæ tamen hîc nostra non facimus.

### Th. VIII.

Occasione *donationis*, utpote secundi modi acquirendi, quæritur: *an quoad animam justum sit de pecuniâ ludere?* Aff. quia quilibet rerum suarum liber moderator atque arbiter est, *l. 21. C. Mandat.* Hinc si possum res meas, vi Domini, alteri pro lubitu donare, etiam dubio ludi eventui easdem exponere possum: quia hoc minus est, quàm illud, cum uterque ludentium pari se subjiciat periculo. Et *donans* simpliciter perdit, *ludens* verò spem capiendi lucri ex alterius voluntate habet. Ergo cui permissum est id, quod est majus, ei non negatur id, quod est minus. Nec obstat, quòd leges ludere vetent: Hoc enim propter abusum factum, *l. Alearum. C. de Aleat.* quia iterum atque sæpius ludus dat occasionem blasphemandi aliaque perpetrandi mala. Quare blasphemiam illam ceteraque patrata turpia animam in periculum præcipitant, non ludus per se. Inde sequitur, posse & lusorem, quod fuit lucratus, modò non adhibuerit dolum, citra animæ retinere periculum; nec furtum, ut perperam nonnulli volunt, committere: quia volenti non fit injuria, & quia hîc non res invito retinetur domino. Sed ubi lusus legibus prohibitus, ibi certè citra animæ periculum nec ludere, nec lucrum retinere possum: quia *LL. Civilibus*, utpote quæ quoque animam (*juxta th. 1. huj. Dissert. cap. 1.*) obligant, obediendum: hoc verò qui non facit, peccat; qui verò ex proposito peccat, animam conjicit in periculum. Ludere itaque sui naturâ non esse malum, ex hæcenus dictis satis evictum puto. De antiquis quidem Germanis refert *Tacitus*, ipsos

C

non



non saltem patrimonia alea perdidisse, sed & ultimò ipsam libertatem alea dubio jactui exposuisse. Verùm an quis animam suam ludo exposuerit, nunquam de hisce Gentilibus legi. Impiissimum quippe hoc factum est, nec arbitror, posse hominem Christianum adeò inhumanum (ut sic loquar) reperiri; ut proinde hæc quæstio inter nos nullius esse usus constet. Donationem factam Ecclesiæ in dubio pro salute animæ factâ censerj volunt Pontificii apud *Tusch, T.I. Concl. 333, n. 3. lit. A.*

### Th. IX.

Progressum jam facio ad Testamentum, utpote modum acquirendi Juris Civilis universalem, circa quem primo loco quæritur, *an quis de sua testari possit anima?* Resp. quod non: quia (1.) ut paulò ante dictum *præced. th. 8.* anima non est in commercio, de quibus rebus testari non licet, *J. 4. Inst. de Leg.* (2.) quia Anima non est in dominio nostro. Nec obstat, quod aliàs legatum de re valeat alienâ. Hoc enim procedit, quoties res aliena est in commercio, ut aut ipsa, aut ejus æstimatio dari possit Legatario, *d. J. 4.* Neque porrò obstat formula testatoribus usitata, quâ animam Deo, corpus legare solent terræ: *Sie bescheiden vor allen Dingen ihre Seele ihrem Heylande/ der Sie erlöset/ den Leib aber den Schosß der Erden/ von der er genommen/ etc.* Nam hoc propriè non est Legatum, sed potius rei precariò sibi concessæ restitutio: quia anima est Salvatoris; corpus verò terræ saltem custodiendum traditur. Per Legatum quippe aliàs transfertur dominium, quod hoc casu fieri nequit. Sed *quid censendum de pessimis illis hominibus, qui (quod horrendum auditu) non dubitant Diabolo suam addicere aut legare animam?* Tale legatum itidem invalidum, & solum, ex justo DEI permissu, punitum judico: quia tales homines à DEO spontè deficiunt, gratiamque divinam pedibus proculcant, *vid. plura th. 13. h. cap.*

### Th. X.

Porrò hîc dubium occurrit, *an circa animam justum sit, si quis alterius testamentum imperfectum servare nolit?* Crederem, quod



quod tale testamentum citra animæ periculum negligi possit; quia nullum jus, ad ejus observantiam obligans, adest, *vid. Jusius Dn. Struv. Exerc. 32. th. 16. Ludwell. de ult. volunt. p. 2. c. 1. Pufendorff. de J. N. & G. l. 4. c. 10. §. 7. Charis. de For. Conscient. c. 4. n. 86. seqq.* Quod si verò quis id generis adimplere velit testamentum, minimè prohibetur, *Brunnem. ad Wesenb. t. de testam. ordinand. quest. 35.* Inde & haud difficulter responderi potest ad quæsitum illud: *an adjurationes istæ (v. g. Wer diesen seinen letzten Willen umbstoßen würde / dem wünsche Er alles Unglück auff dem Hals / &c.) citra animæ periculum negligi possint?* quod itidem affirmo, si testamentum sit invalidum; quia nullum vinculum obligandi adest, cum adjurans, ut par, non potuerit alteri, absque legum assistentiâ, injicere obligationem. Neque aliàs adjurationes atque imprecationes aliquem habent effectum. Quæ verò imprecationes in Sacris, licet in aliis casibus, occurrunt Prophetico regebantur Spiritu, ideò non facilè imitandæ. Statuunt quidem Dd. adjurationem importare fideicommissum, ob *l. 77. §. 23. ff. de Leg. 2.* sed id procedit, si quinque adfuerint testes, & ita solennia fideicommissi, *vid. Jacob. Dörckes de Claus. Codicill. tacit. p. m. 91.* Quæ insuper in materiâ successionum testamentariarum & legatorum de Jure circa animam proferunt *Joseph. Mascard. de Probat. vol. 1. concl. 93. & Dom. Cardinal. Tusch. Tom. 1. conclus. pract. 333. lit. A. cum multis à se allegatis Dd. maximâ ex parte ab Augustanis negantur & ex scholis Pontificiorum deprompta, v. g. hæredem favore animæ defuncti compelli ad multa contra jus, favore exonerationis & salutis animæ, de quibus vid. Ruin. Conf. 20. lib. 4. num. 2. Alexand. lib. 2. conf. 4. n. 21. Socin. conf. 203. lib. 2. num. 2. & Ipse Tusch. Tom. 4. conclus. 42. lit. H. per tot. ibiq. plur. Dd. arg. cap. fin. x. de Sepult. cap. ex literis. x. de Raptor. can. Ecclesia. §. item peccato. ibique Gloss. 1. q. 4. Beneficiatum, qui de fructibus beneficii non reconditis non potest in præjudicium successoris testari, posse tamen favore salutis animæ suæ aliquid legare, si de hoc est consuetudo, arg. can. animæ defunctorum. XIII. q. 2. quem allegat Cal-*



*derin. consil. 329.* Animam testatoris præsumi mœrere ob mulieris vivendi genus impudicum aut impurum, cui legavit sub conditione, si castè vixerit, *Cephal. vol. 1. consil. 59. num. 6. Jaf. in l. fideicommissum. 27. C. de Fideicommiss. Roland. à Vall. vol. 1. consil. 69. n. 34.* Testatorem pro salute animæ testari non posse in præjudicium legitimæ liberorum, *Panormitan. lib. 1. conf. 60. num. 4. Tusch, lit. P. concl. 335. & seqq.* Si defunctus delinquens relinquat plures heredes, & aliqui non essent solvendo, teneri istos, qui sunt solvendo, exonerare animam defuncti, sive cum eo lis fuerit contestata, sive non, *Clar. J. fin. q. 51. num. 18. Alexand. lib. 2. conf. 4. n. 21.* Hæredem non posse præscribere ea, quæ defunctus malâ conscientiam retinebat, propterea: quia licet hæres præscripserit rem obnoxiam restitutioni & illam fecerit suam; tamen, cum teneatur exonerare animam & conscientiam defuncti, *arg. c. 14. de sepultur. c. in literis. 5. x. de Raptorib. Castr. lib. 2. conf. 81. in fin.* exoneratio non fit, nisi eandem rem restituat, quam defunctus malâ conscientiam tenebat, &c. Vassallum non posse judicare pro animâ, hoc est, non valere disporre de feudo pro salute animæ, legando scilicet feudum Ecclesiæ sub conditione precationum, quæ pro domini constituentis animâ fieri debent, statuitur *2. F. 9. § 55.* quam significationem verbi: *judicare:* etiam in aliis Germanorum legibus occurrere notat *Dn. Struv. S. I. F. cap. 13. aph. 4. num. 1.* Hinc Imperator Carolus *Leg. Langob. tit. 18. l. 4. lib. 2.* dicit: si quis Langobardus, statum humanæ fragilitatis præcogitans, pro salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare, &c. Exceptio est, quod nimirum testamentum & legatum super feudo valeat, si illud fuerit simpliciter hæreditarium, *Dn. Struv. l. c. aph. 13.* Sed mitto hæc, & jam, ambagibus pro possibili remotis, *ad jus ad rem propero.*

## Th. XI.

Hoc itaque Jus producit obligationem personalem, quam dividere solent in Naturalem & Civilem, addunt alii, & rectè quidem, Mixtam, *vid. Vinn. Comm. ad Inst. de obligat. n. 4. & seqq.*



seqq. Fluit verò Obligatio vel ex Legis autoritate, vel ex Con-  
ventionem partium, l. 1. §. 3. ff. de pact. Conventio hæc juxta  
LL. Romanas dividitur in Pactum & Contractum. Sed quia  
modernis moribus ex omni pacto licito valida datur actio,  
quoad effectum fermè perinde est, ex Pacto, an verò ex Con-  
tractu agamus. Circa pacta hic quæritur, *an quis per pactum alteri  
suam obligare valeat animam?* Resp. quod non; quia (1.) Anima  
non est in nostrâ potestate, *vid. th. n. h. c. de re autem alienâ pactum  
inire non valemus; quum pactum fiat juris in alterum translatio:*  
Ergo dum in re alienâ nihil juris habemus, nihil quoque in ali-  
um transferre possumus: (2.) quia pactum tale etiam respectu  
alterius esset inutile; utpote qui in alterius animam nullam pe-  
tere posset executionem. Ideoque clausula illa: *fals Er dieses/  
so er versprochen / nicht halten würde / solte er seine Seele des/  
wegen vor Gerichte fordern / si non impia, certè summè teme-  
raria est.* Quin & ille, qui vi hujus pacti contra alterius ani-  
mam in foro instituere vellet processum, meritò, ut temerè li-  
tigans, repellendus, & in notabilem damnandus esset pœnam.  
Quemadmodum aliquando in tractu Lipsiensi quendam contra  
debitoris animam actionem instituisse, mihi Vir fide dignissimus  
retulit. *Quid verò de illâ promissione censendum: Bey meiner  
Seelen / bey meiner Seelen Seeligkeit;* Resp. non videri hanc  
juramentum propriè & formaliter dictum inferre; quia omne  
juramentum debet fieri per DEI invocationem, *add. Ungep. ad  
tit. x. de Jurej. num. 14.* Ubi tamen, solenne juramentum non  
requiritur, hæc formula sufficiens erit, uti & illa: *Bey Gott.*  
*vid. Carpx. p. 2. c. 16. d. 6.* Quanquam qui per animam jurat, vi-  
deatur indirectè Deum invocare vindicem Animæ, & ita non  
jurare per creaturam, *Dn. Stryck, Diss. de Jur. hom. in seipsum, c.  
2. n. 18. seq.* Hinc *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 13. §. 11. n. 1.* nominatis  
rebus personisve aliis jurari morem vocat veterem, sive quod  
illas sibi noxias imprecabantur, ut solem, terram, cœlum, prin-  
cipem; sive quod in illis puniri (per eorum amissionem) de-  
poscebant, ut in capite (in animâ) in liberis, in patriâ, in prin-  
cipe, &c. Hic non possum non improbare pessimam multo-  
rum



rum consuetudinem, qui vix verbum in medium proferre sciunt, nisi & simul suam oppignorent animam: *Bey Jhrer Seele*: nemine hoc exigente. Sanè Juramenta omnia, solennia sint, sive non, cautissimè veniunt tractanda, & non, nisi necessitate exigente, præstanda; quia nomen divinum in vanum sumi non debet. *Hinc & iudices illi* (cujuscunque etiam sint fori) merito censuram incurrunt, qui ferè super quibusvis, tametsi levissimis haud raro, causis exigunt juramentum. Cum tamen hoc non, nisi in supplementum quasi, præsertim in maximè arduis deferendum causis, & ubi aliæ sufficientes defunt per testes & documenta probationes. Aliàs enim occasio perjurii dabitur multiplex, religioque Sacramentorum perinde, ac alia rerum contemptibilis superfluitas, propter frequentiore hunc abusum evilescet. *An verò quis in alterius animam jurare possit?* Resp. quod sic; modò ad hoc speciali fuerit instructus mandato, cujus formulam exhibet secundum *Recess. Imp. de Ann. 1654. Auctor Comit. Ratisb. part. 5. rubr. mandata procuratoria. pag. 361. verb. einen ieden andern ziemlichen/ in Rechten zugelassenen und mit Urtheil auferlegten Eyd/ etiamsi litis decisorium fuerit, in unser und unserer Erben Seele erstatten.* Idque, (posito, quod Juri civili, imprimis quoad juramentum calumniæ, incognitum fuerit, *arg. l. 12. §. 4. C. de Reb. Credit. quod tamen negat Dieteric. ad A. B. tit. 19. pag. 79. affirmante A. C. R. l. c. p. 366.*) Jure canonico confirmatum contendunt *arg. c. 2. vers. procuratores. de Juram. Calumn. in 6. quod forum Imperiale sequi non recusavit in Ord. Cam. part. 1. lib. 65. verb. Ihr werdet schweren einen Eyd zu Gott und auff das H. Evangelium in Eurer Partheyen und Eurer eigen Seel.* De moribus aliorum locorum attestatur *Dn. Struv. S. J. C. Ex. 17. th. 17. etiamsi hoc juramentum Jus Saxonicum non admittat, vid. Carpzov. Jpr. For. part. 1. const. 12. def. 39. nisi quod in Ord. Jud. Prov. Sax. Jenens. quædam inveniatur exceptio, cujus verba citavit Dn. Struv. l. c. in fin.* De cætero communiter hoc juramento utuntur non solum in causis privatorum, sed etiam in publicis, v. g. fidelitatis, homagii, &c. Ita quoque in formâ Procuratorii Electoralis, quod prostat in

A. B.



A. B. Carol. IV. *art. 19.* facultas Nuncio, ad electionem novi Imperatoris faciendam destinato, datur ad præstandum in animam sui Principalis quodcunque juramentum. Formulam aliam tam ejusmodi *Procuratorii* in *Judicio Imp. Aulico*, ubi Tutela Principis suscipienda, exhibendi; quam *Juramenti à Mandatario* actualiter præstandi exhibet *Dn. Joh. Leonh. à Pübel, de Tutel. Princip. cap. 10. num. 54. & seqq.* Quare autem hoc juramentum non receptum sit, si agatur de dicendo testimonio, (*vid. Dn. Dieter, l. c.*) fortè ex naturâ testium colligere valebis. Plura non addo de hoc themate, sed remitto ad *Just. Oldekop. Dn. Felmann. &*, qui ab aliis insuper commendatur, *Sayr. Thesaur. Cas. Consc. l. 5. c. 6. n. 25. & seqq.* Sic divisionem juramentorum, & an in genere christiano, salvâ conscientiâ jurare licitum sit, tanquam trita & vulgaria, hîc tractando inducere nolo, *add. Grot. de J. B. & P. l. 2. cap. 13. Dn. Struv. l. c. th. 12.*

### Th. XII.

Antequam tamen hanc Pactorum materiam dimittam, arbitror generaliter, pacti, quod ad animæ periculum tendit, obligationem non esse; qualia sunt pacta super delictis committendis inita, *conf. Lancell. in Inst. Jur. Canon. l. 3. t. 3. §. 4. ibiq; Dn. Ziegl.* Idem judicium esto de juramentis, ad ejusmodi pacta corroboranda adjectis, *l. 7. §. 16. ff. de Pact.* quia saltem illud juramentum servandum est, quod citra æternæ salutis seu animæ dispendium servari potest, nec vergit in præjudicium tertii, *arg. cap. si verò. 8. cap. cum contingat. 28. x. de Jurejur. sive privati, sive Reip. add. Panormitan. cum Glos. & Dd. ad citr. capp. ubi pluribus hoc exemplis ex Juris utriusq; fontibus petitis illustrant.*

### Th. XIII.

Denique disquirunt non pauci, *quid censendum de pacto cum Demone inito?* Me quod attinet, firmiter credo, illud nullum esse; quia homo animam suam, juxta *th. II. h. c.* obligare nequit, quum illa nullo modo in ejus dominicâ sit potestate. *Institas: nihilominus tamen valida fuisse talia pacta, uti tristibus*



bus quibusdam exemplis experientia docuit. Respondeo, hæc exempla nequicquam probare, pactum hoc, quatenus sc. pactum, fuisse validum; quin potius illud, tanquam nefariè susceptum talismodi viâ à justissimo animæ Creatore, Domino & Judice fuisse punitum. Tendunt enim hæc placita directò contra Ipsius Majestatem; hinc in magum, tanquam erga se factum rebellem, quodcunque ut decernatur absolutissimè permittere potest. Quare nunc neminem admiratio subeat, cur Deus memorati sui desertoris animam (quæ omninò ad hanc sceleratam conventionem concurrat) tanquam rem sibi propriam non vindicet; sed multo magis ad pœnam meritissimæ Diabolicæ torturæ cum suo corpore permittat, *jung. Dn. Becmann. Meditat. Polit. Diss. 5. §. 6.* Est verò pactum cum Dæmone aliud expressum, aliud tacitum. *Expressum* dicunt, quando Deum abnegant & Diabolo se mancipant. *Tacitum* vocant, quando quis citra peculiare seu expressum fœdus Diaboli utitur ope & auxilio. Idque iterum *tripliciter* accidit (1.) si quid commercii cum Dæmone habendo artesque diabolicas exercendo aliquis damnum dat: (2.) si quis ejusmodi artibus non nocet: (3.) si quis superstitiosis utitur remediis, *vid. Dn. Struv. Syntag. Jur. Civil. Exerc. 49. th. 61. Confer. etiam Disp. de Lamiis sub presidio b. m. Schröteri, Fene 1670. habit. & quidem c. 2. q. 2. p. 14. seqq.* Utrumvis elegeris, semper animam tuam interitui æterno expones. Ubique enim erga Deum dicendus es fœdifragus, dum concordiam inire satagi cum eo, cui tamen tempore statim primi tui ortus in sacro fonte Baptismatis absolutissimè renunciaasti. Nec etiam impunè feres in foro soli, quod non minus gravissimis animadversionibus utitur. Inde constat, *prioris* pœnam ignem; *posterorum* esse extraordinariam, *Const. Cr. Carol. V. art. 109. Dn. Struv. d. Exerc. th. 62.* modò nemini nocuerint, aliàs gladii supplicium delinquentem infallibiliter manebit, *Carpz. pr. crim. qu. 50.* Quod si verò fœdus cum Dæmone initum, ignis pœna locum habet, licet nemini fuerit ægrè factum: quia ita expressum adest pactum, quod per se ultimum meretur supplicium, juxta illud *Exod. 20. Maleficos non patieris vivere. jung. Perex.*  
in C.



*in C. ad tit. de Malefic. num. 3. Ludwell. ad §. 3. Inst. de pub. judic. n. 5. & Exerc. ult. th. 5. lit. f. Zieritz. ad d. art. 109. Sed annon ad minimum, absque periculo animæ. licitum Magos & Veneficos consulere eorumque opem atque auxilium implorare? Resp. itidem quod minimè: quoniam Satanahoc etiam modo mediatè colitur. Totum namque magorum scire imprimis à Diaboli directorio dependet, cujus fallacibus responsis ac mediis ejusmodi consulentes se subjiciunt, & sic fiduciam quandam in hostem insensissimum ponunt. Ut jam nil dicam, quod in Jure nostro amicus inimici mei meus quoque censeatur inimicus: Jam verò, qui magos consulunt & in auxilium vocant, associant se Dei inimicis in eumque rebellibus; quippe quem in honorem Diaboli jam dum ante abjuraverunt: Ergo. Exinde factum, ut Jure Civili tales homines superstitiosi satis gravi afficerentur supplicio, per text. in l. 3. & 5. C. de Malefic. Hodiè licet interrogarint vel magicis usi fuerint artibus ob bonum finem, exilio nihilominus vel aliâ pœnâ juxta judicis puniuntur arbitrium, Const. Crim. Car. V. d. art. 109. add. Carpz. pr. crim. p. 1. qu. 50. n. 64. & seq.*

#### Th. XIV.

Nunc se offerunt contractus, & primò quidem Reales, ubi circa Mutuum *Usuræ* occurrunt, de quibus quæritur, *an etiam Christianus ipsas citra animæ periculum accipere valeat?* Hujus quæstionis decisio dependet ab illâ, *an usuræ sint licitæ?* Variant hic mirum in modum Doctores atque Interpretes. Nos tamen *affirmativam* sequimur sententiam, quod scil. sint licitæ, & quod per consequens eas absque animæ læsione Christianus capere valeat. Quamvis enim contrarium in textibus *Exod. 22. Ps. 15. Lev. 25. Ps. 35. seqq. Deuteron. 23. Ps. 19. & 20.* contineri videatur; tamen huic Juri non adversam esse scœnerationem in totum, (1.) satis apparet *ex d. c. 23. Ps. 19. & 20.* Verba Legis ita se habent: *Non scœneraberis (aliàs ne morsum inferas) fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absq<sup>3</sup> usurâ id, quo indiget, commoda-*  
D bis<sub>2</sub>



bis, ut benedicat Tibi Dominus Deus tuus in omni opere Tuo in terrâ,  
in quam ingrediaris possidendam. Si itaque omnis uisura sui na-  
tura injusta esset, etiam procul omni dubio in extraneo fuisset  
prohibita, quem Dominus à populo suo diligi, juvari, non  
verò opprimi, aut injustis exagitari voluit exactionibus, *Levit.*  
*19. 33. 34. Exod. 23. 10.* Textus itaque prohibitus tantummodò  
de illegitimis usuris, & quidem talibus, quæ naturaliter ha-  
bent morsum proximi quæ oppressionem, veniunt exaudiendi,  
quod quoque communiter Theologi nostri faciunt, *vid. Bal-*  
*duin. de Cas. Conscient. lib. 4. c. 3.* Ad contraria respondet *Wis-*  
*senbach. p. 1. Disp. 42. th. 3. add. Eckelt. ad ff. de Us. & fruct. §. 3.*  
Ipse quoque Salvator noster Usuram in parabolâ tanquam rem  
laudabilem introduxit, ob quam neglectam servus à Domino  
meritò redargueretur, meritis, ut extremis tenebris & suppli-  
ciis manciparetur, *Matth. 25. 30.* Unde *Luc. 19. 23.* oportet, in-  
quit, Te committere pecuniam meam numulariis, & veniens  
ego recepissem utique, quod meum est, cum usurâ, *add. Hahn.*  
*ad Wes. tit. de Usur. & fruct. n. 5.* Probatur (II.) ex Jure Natu-  
rali, quia non est iniquum pro usu rei suæ pretium exigere, ex-  
emplo Locati, *Grot. de Jur. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 20. conf. Dn.*  
*Puffendorff. de J. N. & G. lib. 5. c. 7. §. 9.* qui etiam ad alia con-  
traria respondet *§. 11. pag. 673.* Demonstratur quoque (III.) ex  
Jure Gentium, apud quas receptæ fuerunt usuræ. Deducitur  
(IV.) ex Jure Civili, quatenus non excedunt legitimum usura-  
rum modum, nec earum conventio tendit in fraudem legis, *l.*  
*Julianus. 13. §. 6. Idem. ff. de Act. emt. l. cum allegas. 15. C. de Usur.*  
*Zoes. ad d. t. n. 5. p. m. 457. Gudelin. de Jur. Noviss. lib. 1. c. 18. n. 5.*  
Ostenditur (V.) ex Jure Canonico. At instas: videri potius,  
quod Jus Canonicum usuras passim damnet, ut in *c. quoniam.*  
*distinct. 47. c. Ejiciens. distinct. 83. c. 2. c. Consuluit. c. in Civitate. c.*  
*fin. x. de Usur. c. 1. & 2. ibid. in 6to. c. 17. x. de for. compet. in tantum,*  
ut etiam infirmet statuta eas permittentia, *Clem. un. de Usur.*  
Ratio hujus esse posset, quod jure Pontificio usuræ inter  
delicta referantur: & quidem rapinam facere dicitur, qui usu-  
ram accipit, *c. si quis. c. 14. qu. 4. vid. Corvin. in Jur. Canon. l. 4. t.*



27. Verùmenimverò, his nihil obstantibus, cum Jus Canonicum fundamentum suæ prohibitionis ponat in Jure Divino, *arg. c. consuluit. x. de Usur.* quod non indistinctè Usuras aspernari dictum est, quia adducti textus de usuris immoderatis, mordacibus, & quidem talibus, quæ iniquissimam oppressionem egenorumq; arrosionem continent, loquuntur, absq; omni dubitationis aleâ illud restrictivè in loco citato de usuris illicitis, salvâ veritate usus usurarum ordinari, intelligendum est. Præterea Jus Canonicum permittit emtionem annuorum reddituum, qui in vicem Usurarum & fraudem legis primùm inventi fuere, ut eruditè tradit *Franzk. lib. 1. Resol. 1. n. 56. conf. Dn. Ziegl. ad Lancell. l. 4. t. 7. §. 1.* Elicitur denique (VI.) ex Jure Novissimo seu Imperii Constitutionibus: nempe Usuras moderatas ibi permissas esse, satis ostendit *Recess. Imper. de anno 1500. 1530. 1548. 1570. & 1577. sub tit. von Wuchern und Wucherlichen Contracten.* Quibus concordat Constitutio Electoralis, dicta *Torgauisch Ausschreiben / tit. von Wucherlichen Contracten, conf. Eckolt. ad tit. ff. de Usur. & fruct. §. 3.* Inde ergò abundè patet, usuras licitas exigentem animæ aut conscientiæ periculum non incur-rere.

### Th. XV.

Ex stipulationum materiâ huc nonnihil facere videtur sponso, utpote quæ conditionalis stipulationis species esse videtur; de hac ergò quaritur, *An quis citra Animæ aut conscientie periculum cum aliquo inire valeat sponsonem, si rei jam sit certus?* Resp. quod non, quia natura sponsonis est, ut uterque spondentium sit in pari conditione, h. e. dubius de eventu; secus in dolo est ille, qui certam rei habet notitiam. Dolum verò committere jure Morali illicitum est: Ergò hoc qui facit, moraliter peccat, animæq; periculum subit. Aliud esset, si rei gnarus alterum moneret, ne sponsonem ineat, se enim rem certò scire; hic verò, non obstante hac monitione, sponsonem contendat. Namque licet inde damnum aliquod percipiat, id tamen suâ culpâ sentiet, & per consequens sentire non videbitur;



bitur ; Volenti enim non fit injuria , *vid. Zoes. ad t. ff. de Aleator. num. 10.*

### Th. XVI.

Seqvuntur Contractus literales , ubi dubium est , *an quis citra Animæ aut conscientie periculum ex chirographo, pecuniâ non numeratâ, post biennium agere queat ?* In foro exteriori actorem hîc à limine fori non repulsum iri constat ; quia chirographum pro se præfumptionem numerationis & simul legis habet auctoritatem , *f. un. Inst. de Liter. Obligat. l. 14. C. de non numerat. pecun.* Verùm quoad Animam non putamus posse quem justè repetere pecuniam , quam non numeravit ; repetitio enim præsupponit solutionem , seu numerationem : hinc quod non solvi, nec repetere queo. Aliàs enim cum alterius damno contra Jus Naturale locupletarer. Absit verò inde inferas, Jus Civile iniquitati patrocinari. Minimè. Namque in Chirographo , quia debitor numerationem fatetur , non potest non judex juxta illud pronunciare , donec contrarium fuerit probatum. Creditorem verò petere pecuniam , quam non solvit , judici constare nequit. Ergo hoc uniuscujusque conscientie reliquendum est.

### Th. XVII.

Restant Contractus Consensuales , è quibus quoque unam atque alteram quæstionem eruere placet. Et primò quidem circa emtionem & venditionem quæritur : *An quoad Animam sive conscientiam iustum sit , si quis alterum sciens ledat ?* Itidem putamus quod non ; quia omnis fraus & dolus abesse debet , & quia ipsa Natura æqualitatem requirit. Ergo secus facientes mortaliter peccant & per consequens Animæ periculum subeunt , *conf. Brunnem. ad l. 5. C. de rescind. Vendit. n. 3. Schröter. Fascicul. Cas. consc. cas. 20.* Jure Civili quidem læsio infra dimidium permittitur , sed ideò , quia vel dolus latet in re , nesciunturque pretia rerum interna , vel quia impediri nequit. Essent enim aliàs quotidie rescindendi contractus , & ita Respl. litibus nimium implicaretur. Ideò verò deceptiones non ap-  
pro-



probantur. Hinc patet, malè nonnullos Jus Civile ex hoc capite iniquitatis accusare, *vid. Brunnem. ad l. 16. ff. de minorib. n. 11. seqq. Dn. Pufendorff. de J. N. & G. lib. 5. c. 3. §. 40. Dn. Pras. in Curios. Justin. th. 26.* Quod verò in *cit. l. 16. §. 4. de Minor.* dicitur: *Naturaliter* se invicem decipere licere, non hanc habet significationem, ac si jure Naturali liceret, sed ex receptâ passim consuetudine. Id enim vox *Naturaliter* sæpè infert, quemadmodum & *1. Cor. II. vers. 14.* ubi Paulus dicit, Naturam docere viro turpe esse, comam alere, *vid. Mev. Prodrum. Jur. Nat. & Gent. inspect. 2. §. 8. add. Molin. de J. & J. Tr. 2. Disp. 351. Pinell. ad l. 2. C. de rescind. Vendit. p. 1. in fin. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 12. §. 26.* Porrò circa hanc materiam quæritur: *an quoad Animam sive conscientiam justum sit, si venditor emptori vitium patens reticeat?* Aff. quia hoc casu emptor à se ipso decipitur, *l. 43. §. 1. ff. de contrah. emt.* Imputabit enim sibi, quod oculos non aperuerit, ideò crumenam aperire ægrè non feret, *vid. Dn. Pufendorff. de J. N. & G. l. 5. c. 3. §. 10.* Quin & quoad patentia vitia certioratus jam videtur esse emptor. Ergo certioratus amplius certiorandus non est. Secus est in vitiis latentibus, aut si venditor omne se vitium emptori aperturum promiserit; hæc quippe occultare non licet, aliàs dolus aderit: ideoque in præcedentibus de læsione dicta huc applicari poterunt. Quæ verò dentur Actiones, si animal vitiosum fuerit venditum, non est hujus loci inquirere, *vid. Dd. ad tit. ff. de Edil. Edict.*

### Th. XVIII.

Circa Locationem Conductionem quæritur, *an Dominus quoad animam aut conscientiam suam justè faciat, si servo, propter morbum operas præstare impedito, mercedem promissam atq; alimenta deneget?* Videtur quod non, quia servus ægrotus servire, quantum in se, videtur. Attamen, hoc non obstante, arbitrantur alii contrarium esse veriùs (1.) quia cessantibus operis, cessat causa, ob quam merces promissa fuit (2.) quia casus fortuitus nocet illi, in cujus contingit personâ, *vid. Carpz. p. 2. c. 5. d. 14.* Quid? quod hic (3.) conditio videatur parilis, ac si alios laboratores conduxero, qui, in morbum si incidant, fru-



strà à me & inciviliter petent mercedem. Si de merâ justitiâ expletrice loqui velis, posterior tibi amplectenda veniret opinio. Neque obstaret allegata ratio dubitandi, quia saltem hoc vult, quod servus secundum jus Romanum, etiam si ægrotus sit, tamen servus maneat, ideoque & ipsi alimenta præstanda, cum, præter ea, à Domino nihil exigere posset. Illi verò servi à nostris parasangis infinitis distant. Namque moderni servi saltem nobis sunt obligati ex contractu locati conducti ad operas præstandas, de cetero nihil juris in ipsos nobis competit. Hinc quia saltem ex contractu ipsis mercedem debemus propter operas, sequitur, operis cessantibus, etiam mercedem cessare, quia cessante causa cessat effectus. Commiserationis tamen ratio ipsos domo ejici vetat, *vid. Dn. Struv. Exerc. 24. th. 22.* Ex eodem quoque fundamento suaderem, melius quem Animæ si-ve conscientiæ suæ consulendum, quando & ipsi alimenta suppeditat, maximè, sicubi, unde vivant, non habeant; quia pietas desiderat Christiana, ut fratri succurramus egenti. Eadem ratio ad integrum pretium ipsis tribuendum videtur sufficere, *add. l. 38. pr. locat.* Id quod etiam Hamburgenses *in statutis suis p. 2. t. 9. art. 8.* expressè constituerunt. Plura equidem, occasione juris ad rem, haud difficili negotio adducere valerem; Sed filum abrumpere atque ad alia progredi jubet tempus.

## CAPUT II.

DE

### IIS, QUÆ SUNT JUSTA CIR- CA ANIMAM ET CONSCIEN- TIAM IN DELICTIS.

Th. I.

**P**ERtractavimus hætenus, quid in Causis Civilibus justum circa Animam atque Conscientiam fuerit; Nunc quoque  
paucis



paucis videndum, quid in delictis obtineat. Sunt verò alia  
Delicta Publica, alia Privata; qualia sunt Furtum, Rapina,  
Damnnum & Injuria. Occasione furti quæstio seie offert, *an Ju-*  
*dex sine Anima sua sive conscientie periculo furibus suspendium*  
*dictare possit.* Mirus tam inter Theologos, quam Jctos repe-  
ritur conflictus, affirmantibus id aliis, aliis negantibus, quo-  
rum partes sequuntur *Scotus in 4. d. 15. qu. 3. Alex. Alenf. 3 part.*  
*qu. 47. m. 4. Andr. Rivet. in Explicat. 8. Præcept. Amesius l. 5. de*  
*Consc. c. 2. Bachov. ad Wesenb. tit. de furt. Anton. Matth. de cri-*  
*minib. in l. 48. ff. Tit. 1. c. 2. n. 6. Joh. Jac. Wissenbach. Diss. Jur.*  
*Civil. 41. th. 10.* Ratio ipsorum principalior est, quod Judex ita  
summè iniquam dictitet sententiam, cum nulla sit proportio  
inter pœnam hanc & delictum. Citra animæ verò periculum  
sententia ferri nequit iniqua. Quid? quod nonnulli fingant,  
Friderici Imperatoris Animam adhuc in purgatorio pœnas lu-  
ere, quod furibus adeò crudelem statuerit pœnam. Urgent  
prætereà, quod juri Gentium potius conveniat, ut qui in pe-  
cuniâ & bonis nos læsit, etiam in pecuniâ & bonis multetur,  
secundum *Theoph. tit. de J. N. G. & C. §. 1. & princ. de perpet. &*  
*tempor. act.* Quas porrò adducere solent ratiunculas, magno-  
perè hic non curabimus, ne materiam toties jam pertractatam,  
tædiosè repetamus. Ut proinde paucis nos expediamus, sta-  
tuimus, ominò judicem citra Animæ suæ periculum ad furcam  
damnare posse fures; quia ipsius est secundum LL. pronun-  
ciare, cum earum sit minister, hinc legibus non debet esse cle-  
mentior nec durior. Neque est pœna iniqua, cum omninò  
hic proportio subsit, sed quæ non ex re, quæ furto ablata fuit,  
æstimanda, sed ex scopo Reipl. & excessu, qui circa rem com-  
mittitur ipsam, ex læsione nempe LL. & Pacis publicæ. Pari-  
ter factum videmus ab ipso justissimo judice Deo, damnante  
*Προτοπλαίσσε* nostros, propter esum unius pomi & simul per  
ipsum totum humanum genus, quod parentum suorum miseri-  
am hodiernum loquitur. Ideoque qui spontè in hoc ruit deli-  
ctum, gnarus, quæ pœna exinde subsequatur, sibi imputabit  
damnnum, quod suâ culpâ postmodum sentit: *vid. huc faciennia*  
*apud*



apud. Dn. Pufendorff. in Elem. Jpr. Univers. lib. 1. Def. 17. §. 4. & in J. N. & G. lib. 8. c. 3. §. 26. Chemnit. 2. part. loc. Theol. in 7. præcept. circa fin. Nec obstat, quod, qui in pecuniâ & bonis deliquit, etiam in iis puniendus sit. Hoc etenim semper observari nequit; sed crescentibus delictis exasperandæ sunt pœnæ, l. 16. §. ult. ff. de pœn. quo possit Reipl. pax conservari. Jus Divinum quod attinet, resp. LL. illas forenses esse, quæ nos non obligant, cum intentio Legislatoris Divini saltem fuerit, iis suum populum stringere Israëliticum. Plura (v. g. an fur cum bonis aufugiens aut nocturnus salvâ conscientia occidi queat) è citatis Dd. peti possunt, quibus jungatur Grot. l. 2. c. 1. §. 12. Nunc properamus ad secundum privatum Delictum.

## Th. II.

Hujus ergò intuitu in quæstionem venit, an Judex citra animæ suæ sive conscientie periculum raptoribus propter rem minimam ultimum dictare possit supplicium? Aff. ex eadem ratione, quâ prior quæstio decisa, cum hîc res minima non sit spectanda, ut minima, sed quod enormiter publica sit læsa tranquillitas atque securitas, l. 28. §. 15. ff. de Pœn. Carol. V. P. H. S. D. art. 126. Wesenb. in w. ff. de Vi bon. rapt. add. Grot. l. 2. c. 1. §. 11. hinc etiam si res minima ablata fuerit, pœna tamen non cessat, Wesenb. in n. ff. d. l. n. 8. & Carpz. pr. crim. p. 2. qu. 90. n. 14. & seqq. & p. 4. c. 25. d. 5. & seqq. Afficiuntur ergò justè raptores indistinctè gladio, cum Ord. Crim. d. art. 126. generaliter loquatur, vid. Hahn. ad Wesenb. d. l. n. 8. Carpz. pr. crim. p. 2. qu. 90. n. 20. De cetero ex observantiâ diurnâ atque vetustâ, peractâ executione, punitorum cadavera rotæ imponuntur, Carpz. d. l. n. 14. seqq. & p. 4. c. 25. def. 5. & seqq. Brunnem. ad l. 2. C. de Vi bon. raptor. n. 5. Idem dicendum venit de piratis in mari, l. 3. §. Labeo scribit. de incend. ruin. Hodie autem eò fine Domini solent naves exploratorias sive excursorias (Auslagschiff) habere, quibus maris securitatem tutantur àque talibus purgant harpyis, Stypmann. de Jur. Maritim. & Nautic. part. 4. cap. 18. §. ult. p. m. 291.

Th. III.



### Th. III.

Sequitur tertium delictum privatum, damnum nimirum injuriâ datum; sed illud hic sicco transibimus pede, certi illud apud Moralistas sub titulo de *Restitutionibus* ubilibet fusissime fuisse tractatum, quibus jungere Lector poterit *Hug. Grot. l. 2. c. 17. per tot.* Potius injurias consideraturi sumus. Circa quas quaeritur, *An quoad Animam sive conscientiam justum sit, si quis injurias verbales mille & amplius aestimet?* Putamus quod sic; quia hoc facimus lege non solum connivente, sed & concedente atque officium judicis in puncto executorio largiente, quo id, quod aestimatum est, suum, praviâ moderatione, decentem consequatur finem. Non obstat, quod multi dicunt, revera nobis nihil abesse, cum per verba injuriosa fama auferri nequeat, *l. un. C. de famos. libell.* Ergo si nihil abest, quid tanti aestimandum est? Hinc suadent, condonare nos magis debere lædenti, secundum Salvatoris monitum *Matth. 5. v. 39.* & Magistratui committere vindictam. Verum respondemus, magistratui nihilominus committi vindictam per consequentiam, quum nobis solum aestimationis applicatio sive lucrum concedatur, ipse vero magistratus per suam moderationem summæ à nobis prætesæ injuriantem coercere cogitat. Aliud igitur erit vindictam privatam per se exercere, aliud id, quod per vindictæ quandam speciem, quæ publica per consequentiam revera est, ex jussu magistratus improbo injurianti extortum est, sibi per legis concessionem applicare. Cæterum an Christianus justè & citra animæ periculum injuriarum agere possit, *vid. Dn. Charis. de Foro Consc. c. 6. n. 55. seqq.* Sed quid censendum de eo casu, *si quis per sacerdotem publicè in templo deprecatus atq; se omnia in se admissa omnibus condonasse professus fuerit, an sanitati restitutus citra animæ suæ & conscientie periculum injuriarum agere possit?* Arbitror regulariter quod sic; Eo ipso namque juri suo quaesito, quod in bonis habet, non præsumitur renunciasse: est verò actio injuriarum in bonis, *argum. l. 49. de V. S.* In casu tamen dubio (quando sc. non constat

E

quid



quid quantumque remissum fuerit) negativam foverem sententiam cum *Strauch. D. 19. th. 15.* dissentiente licet *Ludw. D. 15. th. 7. lit. d.* Plura de hoc quaesito tradit *Dn. Stryck. de Jur. Sens. Diss. 9. c. 4. n. 10.* An ob transitum uxoris ad secunda vota anima testatoris tristetur, tanquam super injuriâ sibi & suis relictis liberis illatâ, ut contendunt Pontificii *Marian. Socin. in conf. 180. n. 8. vol. 1. Alexand. in l. mulier. §. cum proponitur. n. 9. ad SC. Trebell.* luculentius ego pro nunc credere non valeo.

#### Th. IV.

Subjicimus Delicta publica, occasioneque illorum unam atque alteram paucissimis considerabimus quaestionem. Et primò quidem, crimen læsæ Majestatis quod attinet, exclamat *Baldus, Bartolum* esse in inferno, ibique cruciari cum Sectatoribus suis ejus animam, eò quod statuerit *in l. utrum. ff. de Parricid.* conscius criminis læsæ majestatis, nec illud revelantem, propter solam scientiam morte puniendum esse; quam sententiam quoque infecutum est Parliamentum Parisiense supremum in causâ Thuani, filii Magni illius Thuani Præsidis. *vid. Rumelin. ad A. B. Carol. IV. part. 3. Diss. 5. th. 19. ibiq. Myler. in addit.* Ego *Baldi* opinionem mitiorem judico, modò conscius nullo pacto cooperatus fuerit; propterea tamen *Bartolum*, qui rigorem *L. quisquis. C. ad L. Jul. Majest.* secutus est, inferno non statim mancipo. Adulterium quod concernit, hic disquiro: *an Maritus adulterum deprehensum cum Uxore non solum impunè, sed et salvâ conscientia & absq. animæ interficere possit periculò?* Resp. Imperator distinguit, utrum adulter sit turpis & infimæ conditionis homo, & tunc impunè hoc facere valet maritus, *per l. 24. ff. ad L. Jul. de Adult. Farin. Q. 121. n. 66. & seq. modò de Jure Nov. (vid. authent. si quis. C. h. t. nov. 117. c. 15. add. Constit. Crimin. Carol. V. art. 142.)* etiam triplex præcesserit denunciatio, cujus formulam exhibet *Theod. in Crim. colleg. c. 6. aph. 3. n. 112.* Sin verò hæc requisita observata non fuerint, arbitrariâ punitur poenâ, *l. 38. §. 2. ff. de Adult.* Ratio hujus Vindictæ privatæ additur, quia dolor justus  
ejus



ejus relevat factum, atque difficile est, justum temperare dolorem, *vid. Farin. Q. 121. part. 2. per tot. Decian. lib. 9. c. 15. n. 38. Menoch. lib. 2. A. Q. cas. 356. add. Brunnem. ad. l. 4. ff. ad L. Jul. de adult. coercend.* Verumenimverò hæc cuncta in foro externo Juris Civilis, propter mariti summum dolorem, condonata, non verò in foro conscientiae probata fuisse multi contendunt, inter quos *Zæf. ad tit. ff. ad L. Jul. de Adult. coercend. n. 7. & 8. add. Dn. Pufendorff. de Jur. Natur. & Gent. l. 2. c. 5. §. 15. Dn. Ziegler. ad Grot. l. 2. c. 1. §. 7.* Nam in Foro Conscientiae, juxta eosdem, non licet marito occidere adulterum aut uxorem adulteram, *Can. Inter hæc. 33. qu. 2.* Quia soli judici & principi, qui habet gladii potestatem, occidere permissum. Dissentit *Jul. Clar. lib. 5. sent. §. homicidium. n. 50. & seq.* qui ait, hanc Juris Civilis permissionem non esse contra conscientiam. Sed huic respondent cum *Perez. in Comment. ad tit. C. ad L. Jul. de adult. coercend. n. 23.* quod utique sit peccatum mortale, necare adulterum, (1.) propter animæ detrimentum, quod infertur eam occidendo in tali statu, (2.) quod certè legi præponderet injuria patris aut mariti: maximè cum ista injuria possit aliter ab illis vindicari, nec sit singulis concedendum, quod per Magistratus solet fieri atque expediri, *l. 176. ff. de R. J. & idcirco Judiciorum esset vigor in medio positus, ne quisquam ipse exerceat ultionem, l. 14. C. de Jud.* His adde, quod minimè liceat inauditum & indemnatum, quantumvis sceleratissimum, privato necare. Quocirca Lex Civilis non tam hujusmodi cædem videtur approbare, quàm poenam remittere graviolem, propter justum, ut modò dictum, dolorem, qui non facilè supprimitur. Idem obtinet in Patre, qui filiam suam adulterii necavit in puncto, nam hunc rigorem nec canones, *c. 6. Inter. caus. 33. qu. 2. nec mores receperunt, Gudel. de Jur. Noviss. lib. 5. c. 18. Zypræus de rapt. Virgin. in pr. Christin. ad LL. Mechlin. tit. 2. art. 13. n. 19. Meum decisum desumerem ex not. Dn. Præs. ad cit. §. 7. c. 1. l. 2. Hug. Grot. quibus adderem Laymann. Theolog. Moral. T. 1. l. 3. tr. 3. part. 3. cap. 2. num. 4. pag. 344.* atque hoc modo etiam, salvari posset



*Clarus l. e.* Tolerandam quoque putarem *b. l.* distinctionem inter vindictam privatam pure talem, & quæ publica dici potest per consequentiam: hinc quando ex permisso magistratus respective pater & maritus filiam & uxorem in turpitudine deprehensas occidunt, id non faciunt ex privatâ vindictâ pure tali, sed publicâ potius per consequentiam, concessâ à magistratu & lege. Posito hoc, nescio equidem, an leges supra citatæ civiles affectibus humanis adeò præcisè, ut alii contendunt, velificentur. Cæterum de adulterii pœnâ hic agere ad propositum nostrum nihil facit, id saltem, quasi in transitu ad iudicium adulterii pœnam capitalem in l. 30. C. ad L. Jul. de Adulter. coërcend. & Nov. 134. c. 10. fermè in plerisque, extra Saxoniam, Germaniæ locis hodiè cessare, vid. Anton. Matth. de Crim. l. 48. t. 3. c. 2. n. 1. Theodor. in Colleg. Crim. c. 6. aph. 3. n. 68. Animam testatoris mortui præsumi mœrere ob mulieris vivendi genus impudicum aut impurum, probat Romano-Catholicus Mascard. de Probat. vol. 1. concl. 93. ex Paris. vol. 2. conf. 95. n. 212 & 56. Marsil. conf. 13. n. 8. Gloss. & Dd. ad L. Fideicommissum. C. de Fideicommiss. Alb. in conf. 25. n. 12. qui etiam idem asserit de transitu uxoris ad secunda vota, cum Ruin. vol. 2. conf. 84. n. 9. & seq. Ego, uti th. preced. in fin. dictum, hoc mihi persuadere nequeo.

### Th. V.

Stuprum quod attinet, moratiori ubique mundo constat, quod circa conscientiam sive animam justum non sit, si quis Virginem volentem stuprat: huc solum facere videtur illud speciale quæsitum: *an quoad animam justum sit, si quis aliquam impregnarit, infanti autem, quia stupri in foro exteriori convinci non potuit, alimenta suppeditare denegat?* Firmiter præ me fero quod non; quia Jure Naturæ quilibet ad alendum eum, quem progenuit, obligatus est. Ergo dum hoc non facit, denegat partui id, quod ei Jure Naturæ debet, & per consequens graviter quoad animam peccat; licet ideo in foro exteriori coërceri nequeat, ob defectum probationis.

Suade-



Suaderem ergò omnibus occultis patribus, ut Animæ suæ rationem habeant, sobolique de alimentis, ad minimum per tertium aliquem, prospiciant, maximè si mater, unde infantem alere possit, non habeat. Qui enim alimenta denegat, necare videtur, *l. Necare. 4. ff. de agnos. & alend. liber.* Sic quoad conscientiae salvationem melius facit etiam per vim stuprata mater, si partui, tametsi præter omnem sui voluntatem, concepto & enixo, ubi patris copia non suppetit, de alimentis necessariis prospiciat: ad quæ subministranda aliquando officium judicis matrem, licet innocentiam suam prætendat, adigere poterit, *add. Dissert. sub Dn. Præs. de Amor. Venenat. th. 31. in fin.*

## Th. VI.

Hæc occasione & porro inquirendum: *an mulier, vitæ suæ aut famæ conservandæ causâ, citra animæ suæ periculum abortionis poculum sumere possit?* Canonistæ multi hæc longius progrediuntur, statuentes, quod licitè & absque animæ læsione mulier abortionis sumere possit poculum, quando evidens periculum apparet ex partu. Unde *Sanchez. de matrim. lib. 9. c. 20. n. 6. & seqq.* existimat, quod sicut ad conservationem corporisque salutem membrum quis abscindere potest, ita quoque partus, tanquam corporis pars, abigi queat, ut toti deinde benè sit corpori. Verum distinguimus cum *Dn. Præs. de Justit. hom. circ. sua membr. c. 8. §. 8. p. 94. seqq. Less. de Just. & Jur. lib. 2. c. 9. dub. 10. n. 61. p. 79. & Laym. Theol. Moral. lib. 3. Tr. 3. p. 3. c. 4. n. 3. p. 345.* Inter remedia, quæ directò ad necem partus causandumque abortum tendunt, & quæ indirecto fœtui sunt nociva. Hæc, cum primariò spectent & pro fine habeant matris curationem, & per consequens saltem partus secum trahant extinctionem, in extremæ necessitatis casu permitti posse arbitramur, *Laym. d. l. Illa, cum directò & suâ naturâ interitum partui causentur, quanquam profint matri, salvâ tamen conscientia adhibenda non sunt.* Atque hoc confirmat *l. 4. ff. de Extraord. Crim. Hinc Menoch. Arbitr. Judic.*



qu. Cent. 4. c. 357. n. 20. & Berlich. p. 4. Concl. 8. n. 45. dicunt, quod ejusmodi mulier, ob suam salutem abortum faciens, in Conscientiæ foro à peccati labe non sit immunis; quod quoque confirmat *Carpz. pr. crim. p. 1. qu. 11.* Justum proinde non est circa Animam, abortionis poculum fumere. Quà verò partum abigentes pœnâ afficiantur, non est nostri instituti, hîc ut ex professo prosequamur. Constat autem distingui communiter inter partum animatum & inanimatum, ita ut priori casu ultimum supplicium, posteriori arbitraria obtineat pœna, *vid. Const. Carol. art. 133. Const. Elect. Sax. 4. p. 4. conf. Dn. Struv. Exerc. ult. qu. ult. Carpz. pr. crim. p. 1. q. 11.* quam distinctionem non approbat *Brunn. in Process. Inquis. c. 9. n. 6.* tanquam minus conformem verbo Divino. Sed ipsam non esse nullam, *supra cap. 1. th. 2.* tractavi; & an in Jure Civili fundata sit, docet *Dn. Pres. d. loc. §. 9.* ubi fusius de hâcce agit materiâ.

### Th. VII.

Hic etiam excuti meretur *sectio puerperæ vivæ, ad extrahendum foetum vivum ex utero, sub spe salvandæ & matris & infantis, an circa animam justum sit, ut illa instituat?* Foetum ex utero *demortuæ* Matris vivum extrahi, non solum quotidiana experientia, sed & veterum monumenta comprobant & corroborant. Sed hæc quaestio gravior est de sectione matris *vivæ.* Multi Medicorum hoc planè negant, ac ejusmodi operationem dicunt impossibilem. Alii verò id intrepidè affirmant, & non modò possibilem esse docent, sed et experientiâ & exemplis confirmant; quam sententiam & nos hâc vice amplectimur, cum hoc tamen temperamento, si certâ & valdè probabilis boni eventus spes adsit tam in matre, quàm in foetu. Quia ad hominis conservationem omnia media possibilem, & quæ turpitudinem non involvunt moralem, sunt adhibenda. In dubio verò tutior via erit sequenda.

### Th. VIII.

De autochiriâ hoc loco aliquid dicendum venit, *an scil. circa*



*circā animam sit iustum, si quis seipsum occidat?* autochiriam naturaliter esse licitam, haud pauci statuunt, inter quos *Agyd. Hortens. de J. & J. §. 3. p. 4. Ungepauc. in Exerc. Just. 1. qu. 13. Gomez. in Tr. de potestat. in seipsum, & alii, quos affert Ungepauc. in d. Exerc.* Urgent autem imprimis verba *l. 9. §. 7. ff. de pecul. Licet etiam servis naturaliter in corpus suum seivire.* Sed sententia contraria omninò verior; quia (1.) nemo membrorum suorum dominus, *l. 13. ff. ad L. Aquil.* (2.) multò minus Animæ, quam Autochir Diabolo tradit: & hinc alio homicidâ est peior. (3.) quia si neminem interficere licet, multò minus se ipsum, cum ordinata charitas incipiat à se ipsâ, *l. Preses. C. de Servit.* Plures rationes facillè coacervari possent, sed non putamus è re esse; Negativas igitur partes sequuti respondemus ad *d. l. 9.* ex particulâ *Naturaliter* colligi non posse, quod Jure naturæ hoc permissum sit, verùm potius in *d. §. 7.* eò tendit Jctus, servum, licet penitus in Domini potestate sit, adeò, ut eo invito nihil facere possit, non tamen sic constitutum esse, ut non naturalibus virib9, sive *de facto*, in corpus suum seivire ipsi liceat, *add. l. 29. §. pen. ad L. Aquil.* hinc si ita damnū *naturaliter* sibi intulerint servi minorisq; precii se effecerint, non posse dominos in peculii computatione hujus damni rationē habere, *vid. Bachov. ad Tr. vol. 1. Disp. 2. th. 3. lit. f. & de Act. Disp. 8. th. 9. Carpx. pr. crim. part. 1. qu. 2. n. 27.* Vocula ergò *Naturaliter* non uno sumitur modo, *vid. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 4. §. 2. add. Guil. Grot. de Princ. J. N. c. 7. n. 4.* Quod si itaque ipsius vita domini potestati minimè sit subjecta, evidens exinde est, nec in foro exteriori, nec interiori *αὐτοχίρως* excusationem mereri aliquam. Ad cætera, quæ proferunt in contrarium, argumenta respondet *Dn. Pres. in sapius citat. disp. de Justit. hom. circ. sua membr. c. 2. §. 17.*

### Th. IX.

Absurdi proinde fuerunt Donatistæ, quod genus martyrii censuerint seipsum interficere, quod refert atque refellit *August. lib. 1. de civit. DEI à c. 17. usq; ad c. 28.* Injustitiam ergò hujus



hujus sceleris è præcedentibus satis patere arbitramur, quam  
prolixius demonstrasse non vacat, *conf. Ames. de Consc. lib. 6.*  
*c. 31. qu. 6. Less. de J. & J. lib. 2. c. 9. dub. 6.* Neque ii excusatio-  
nem in conscientia merentur, qui, quoties navim ab hoste vi-  
dent occupatam, pulveri pyrio, mandatu superioris, ignem  
submittunt. Nec hoc approbandum, etiamsi Magistratus  
mandaverit, cum mandata super re naturaliter illicita servan-  
da non sint, *vid. Excell. Dn. Lic. Alberti, Favoris, Patroni, Ho-*  
*spitis atq; Præceptoris mei æternum colendi atq; venerandi, Comp.*  
*Jur. Nat. orthodox. Theol. Conform. part. 2. cap. 3. J. ult. pag.*  
*m. 90.*

### Th. X.

*Quid verò dicendum de illo, qui cælestium gaudiorum anti-*  
*cipandorum gratia manus sibi infert? Refert hujus rei exem-*  
*plum Anneus Robertus lib. 1. rer. Judic. c. 12. in quodam homi-*  
*ne, qui se in cubili suo suspenderit, cum prius in chartulâ*  
*quadam hæc scripsisset verba: Dissolvor, ut sim cum Christo,*  
*nec vana fides. Attamen nec hunc excusatum optimè censet*  
*Anton. Matth. de Crim. lib. 48. tit. 5. c. 1. n. 10. Sanè expectanda*  
*sunt æterna gaudia & non capienda. Et huc utique pertinet*  
*August. de Civit. DEI. lib. 1. c. 26. assertum: Neminem sibi de-*  
*bere mortem inferre desiderio melioris vitæ, quæ post mor-*  
*tem speratur, quia res suæ mortis melior post mortem vita*  
*non suscipit, add. Dedekenn. Consil. Theolog. vol. 1. pag. 959. num.*  
*17. Rubr. Was vom Abschied desjenigen zu halten / der unter*  
*fleißigen Beten (da er Christo seine Seele befiehet) sich selbst*  
*umbs Leben bringet? Item num. 18. Rubr. verb. Mann hat ley-*  
*der in kurzen Jahren unterschiedliche Exempel erlebt / daß ein*  
*Weib zur heiligen Absolution gangen / und sich darauff bey gu-*  
*ten Verstande ehencet. Anderswo hat ein Mann das heil-*  
*lige Nachtmahl empfangen und sich also fort mit Vorsatz er-*  
*schossen. Ein anderer hat mit einer Schrift seiner eigenen*  
*Hand Christo seine Seele mit ganz beweglichen Worten*  
*befohlen / und sich darauff mit guten Willen ins Wasser*  
*gestürzt;*



gestürzt ; ist die Frage / was von derselbigen Seeligkeit zu halten ?

### Th. XI.

Parum quoque rectè se privant vitâ homines, ut turpi facto sese liberare valeant. Exemplis quidem si ferenda esset decisio, contrarium foret dicendum. Sic apud *Procop. lib. 2. de Bell. Persic.* mulieres duæ Antiochenæ, captâ urbe, ne quid à Victoribus paterentur turpe, sese in flumen præcipites dederunt. Pariter *Enseb. lib. 8. hist. Eccl. c. 17.* de Nobili & Christianâ muliere memoriæ prodidit, eam, cum ad Maxentium Tyrannum se deduci videret, ut ejus profiteretur libidini, semetipsam interemisse. *add. de mulieribus Rigensibus nostri seculi Cluver. Histor. pag. 821.* aliâque *Judaica ap. Schickard. de Jur. Reg. Hebr. pag. 429. it. not. Grot. l. 2. c. 19. n. 5. §. 4.* Verùm cum invitus alioquin non delinquat, sed sese merè passivè habeat ; delicta autem ex animo agentis æstimentur, non peccati rea erit fœmina stuprum violenter passa, si quantum in ipsâ fuit, violenti restiterit stupratori. In vitam ergò suam nil juris habebit, licet tales excusari mereantur ex sententiâ Dn. *Pufendorff. in Elem. Jpr. Univers. lib. 2. def. 4. §. 10.* si illicitos concubitus, etiam cum jacturæ vitæ, aversatæ fuerint, cum nemo ad id obligetur, ut se alterius subjiciat libidini, *Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 1. §. 2.* Non tamen inde secura satis animæ ratio habetur, si quasi furore correpta in seipsam scelus committat. Itaque, si nullis viribus amplius resistere valeat, Deo committat ultionem, non verò ipsa in sua sæviat viscera. Optimè quoad quæstionem præsentem scribit *Ant. Matth. de Crim. lib. 48. t. 5. c. 1. n. 10.* cujus verba hîc referri merentur. Quæ vi stupratur, mente virgo est. Mens enim peccat, non corpus ; & ubi consilium abest, ibi crimen abest. Quid gravius pati potest, quæ alienæ libidini substernere pudorem suum constanter recusat, quàm mortem ? Ea verò expectanda potius, quàm occupanda. Nam mori velle, ne moriari, furor est, *conf. Molin. de J. & J. Tr. 3. Disp. 9. n. 3.*

F

Th. XII.





## Th. XII.

Multò minus denique excusantur eæ, quæ post illatum stuprum sibi vim inferunt, cum pudicitia vindictam in se exerceant, uti Lucretiam à Tarquinio stupratam fecisse *Liv. lib. 1.* scribit, in quam valdè invehit, nullaque planè laude eam censet dignam *August. de Civ. DEI lib. 1. c. 19.* & *Ovidius* de eâ ita canit: Si fuit illè Tibi Lucretia gratus Adulter, immerita ex meritâ præmia morte capis. Verùm si casto vis est illata pudori, quis furor alterius crimine velle mori? Laudem igitur nullam captas, Lucretia: namque vel scelerata cadis, vel furiosa ruis.

## Th. XIII.

Justissimè proinde LL. in autochiros sæviunt, ipsosque honestâ privant sepulturâ, nisi ex Melancholiâ, aliâve animi impotentiâ mortem sibi inferant, *vid. Carpz. Jurisprud. Consist. lib. 2. Def. 376. 377. 378.* licet non omnes aliàs consueta adhibeantur ceremoniæ, *Richter in l. 2. de Testam. n. 75. & seqq. Dn. Struv. Exerc. 15. th. 83. S. J. C.* Cæterum unum casum tanquam *εὐλογον ἐξαγώνη* Judæi excipiunt de lege se interficiendi in sacris literis, *vid. Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. 19. §. 5. & Dn. Pufendorf. de J. N. & G. lib. 2. c. 4. §. 5. p. 204.* si scil. quis viderit, se deinceps victurum in probrum DEI. Huc referunt (1.) Exemplum Samsonis, qui in suo corpore veram religionem videbat esse derisui: Sed Resp. quod Samson ex viribus non fecerit suis, vires enim ejus tantæ non erant, ut columnas & his insitens ædificium prosternere valeret; verùm Deus talem edidit fragem, usus Samlone, tanquam instrumento, infirmo licet, ac minus sufficiente. (2.) Saulis, qui gladio incubuit, ne à DEI suisque illuderetur hostibus suaque fortassè captivitate populo conciliaret servitium. Illum verò ex desperatione, non ob DEI gloriam, manus sibi intulisse, satis constat. Quod autem eum resipuisse scribunt, purum putum commentum est Rabbinicum. Atque hoc intra veritatis consistere limites, ex eo patet, quia Diabolum consuluit, qui quoque diem supremum ipsi imminere prædixerat, ut ita ex desperatione potius, quam pietate, pro patriâ Dei que lege cum hostibus fuerit congres-



gressus. Quam ob causam autem Davidis præconium nactus sit, id non propter sui interfectionem, sed propter alias qualitates, quæ ipsum in vitâ ornabant, factum. Illis quidem à Davide, qui Saulem sepelierant cum honore, benedicuntur 2. Sam. 2. v. 5. sed exinde non sequitur, quod resipuerit, cum potius Jabesitæ, qui præ reliquis obstricti erant Sauli ob insigne beneficium, ut constat 1. Sam. 11. v. 1. ex debito gratitudinis, ultimum ei præstiterunt officium. (3.) exemplum est Rasis petitum ex libro Maccabæorum apocrypho, cujus nulla aut infirma in probationibus evidentioribus est autoritas, vid. Dn. Osiand. ad Grot. lib. 2. c. 19. §. 5. p. 1109. seqq. & Dn. Ziegl. ad d. l. p. 422. De cetero, an testamentum facere possit αὐτοχέη, obiter hic faltem quæritur, cum propriè non sit hujus loci? Resp. aff. & quidem cum aliquâ distinctione ex l. 2. C. qui testam. fac. poss. an ex impatientiâ doloris sibi mortem consciverit, & tunc valet testamentum olim ab eo conditum; An verò ex conscientia delicti, & non valebit. Quod hodiè ita accipiendum, si tale sub sit delictum, ob quod publicantur bona; aliàs subsistit testamentum, Richter in d. l. 2. n. 10. Dn. Struv. Exerc. 31. th. 8. Perez. in C. ad. d. t. n. 10. Hodiè autochir testari poterit indistinctè, nisi crimen sit exceptum, Carpz. p. 3. Const. 6. Def. ult. Farin. Q. 128. Menoch. lib. 2. arb. Q. cas. 284. Brunnem. ad d. l. 2. C. num. 8. An credendum sit quibusdam asserentibus, animam alicujus ipsis apparuisse, & jam adjuratum ab iisdem super suo statu, aliquibus signis ab adjuratoribus præfixis significasse, se ob certa crimina esse damnatam? vid. Kirchoy. tom. 2. Consil. varior. §CC. p. 166. & seqq. An brutum ab homine sodomitâ imprægnatum, ante editum partum, (de quo dubium, rationalisne an irrationalis futurus sit) sit occidendum & absq; animæ periculo comburendum? colligere poteris ex cap. 1. th. 2. huj. Disp. Breviter utrumque nego,

### CAPUT III.

DE

## IIS, QUÆ SUNT JUSTA CIR- CA ANIMAM SEU CONSCI- ENTIAM IN PROCESSU.

F 2

Th. I



## Th. I.

**P**ersonæ Judicium constituentes, aliæ sunt Principales, aliæ  
 accessorix; *Ille* sunt Judex, Actor, Reus; *hæ* Advocati, Pro-  
 curatores, intervenientes, &c. ut autem à Judice primordium  
 meditationum mearum capiam, ipsius est animæ suæ semper  
 habere rationem quàm diligentissimè. Hinc justitiæ unicè stu-  
 debit, atque ab omnibus affectibus erit remotissimus, ne quid  
 odio det aut amicitix. Namque judex, quâ talis, nec Patrem  
 habet, nec Matrem, nec Filium, nec Amicum. Inde suâ spon-  
 tè fluit, *non dari casum pro Amico*; quia eo ipso, dum pro alte-  
 ro in pari causâ pronunciat, quia amicus est, malè pronun-  
 ciat, quoniam ex affectibus privatis, à quibus tamen, ut modò  
 dictum, quàm remotissimus esse debet, pronunciatum tale flu-  
 it. Non paucos quidem in contrarium niti, non ignoramus,  
 quibus cum & facit *Dn. Schröter, Fascicul. cas. consc. cas. 5.* quia  
 æquilibrium illud, quod inter partes litigantes intervenit, per  
 amicitiam ab alterâ parte accedentem tollitur. Enimverò  
 pondus hoc, quod causa amicitix adest, nostro quidem judi-  
 cio, nullum est, quia quoad judicem, nulla adesse debet Ami-  
 citia; ergo nec quicquam operari potest. Putamus proinde  
 citra Animæ periculum pro Amico, qua tali, judicem pronun-  
 ciare non posse, *add. Bitsch. special. Tr. de Cas. pro Amic.* quia  
 ita personam respicit jusque flectit contra sacræ scripturæ & sa-  
 næ rationis dictamen. An verò quoad Animam justum sit, *si*  
*personæ respectum habeat judex*, hic disquirere prolixius esset, ac  
 tempus patitur. Absolvam ergo me brevibus verbis distin-  
 guendo, inter respectum publicum & privatum: *illum* habere  
 potest, imò debet; cum ex circumstantiis personarum sæpè cau-  
 sa æstimanda, maximè in delictis. *Hunc* verò minimè ex ra-  
 tionibus superiùs allatis. Quanquam depravatis moribus eo  
 res redacta videatur, ut quotidie judices contra faciant, res-  
 pectum privatum nimium observantes: Unde vulgatum istud  
 ortum, plus valet favor Judicis, quam lex Codicis. Hoc ipso  
 verò judices præsentissimum animæ suæ periculum incurrere,  
 dubi-



um prorsus nullum est. Ideoque ipsi cogitabunt, quomodo se quondam excusaturi coram illò Judice, qui cum corpore simul animam condemnare & in infernum præcipitare potens est. Nam

Judicabit iudices iudex generalis,  
Ibi nihil proderit dignitas Papalis,  
Sive sit Episcopus, sive Cardinalis,  
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis?

Ibi nihil proderit multa allegare,  
Neque excipere, neque replicare.  
Neque ad sedem Apostolicam appellare,  
Reus condemnabitur, nec dicetur quare?

Cogitate miseri, qui & quales estis,  
Quid in hoc iudicio dicere potestis?  
Quod nec erit Codici locus nec Digestis,  
Idem erit Dominus, Iudex, Actor, testis.

Ne proinde tremendi huius Iudicii censuram iudex incurrat, animæ suæ rationem semper habeat, necessum est. Huic verò omnium optimè consulat, si affectus, multo magis munera sibi donari, neutiquam patiat; sed semper secundum sacrosanctas leges sententias proferat. Ast hic quæstio se offert, *an quoad animam iustum sit, si secundum Acta potius, quam secundum conscientiam pronunciet?* Quæstio hæc primùm inter Martinum & Johannem, veteres Glossatores fuit agitata, postmodum vero à succedentibus Dd. vel millies reassumpta & ad nauseam usque pertractata, ita ut quodammodo pigeat, vel verbulum hic de illâ addere. Ut tamen paucis mentem exprimam meam, puto præter necessitatem tanto studio ipsam à Dd. ventilatam totamque difficultatibus esse involutam; quia hodiè est odiosa, cum iudices officii principio jurare oporteat, se secundum acta & probata pronunciaturos; *Partim* vix dabilem continet casum, certè de rarissimè contingentibus. Quantum in me, putarem Iudicem secundum acta semper pronunciare debere, quia (1.) hoc, ut faciat, necessitas status humani postulat: cum metuendum, ne dentur, qui conscientia obtentu innocen-



res condemnandi absquē tamen sufficiente causā sint. (2.) quia  
Judices hoc se facturos promittunt, *vid. inter alios fusius de hac  
materiā Gøhaus. Pericul. Academ. part. 2. peric. 5. quest. 29.* Ne-  
que est, ut quis objiciat (v.g. si quis innocens per testes, quos  
Judex certò scit falsos, homicidii convincatur) hac ratione in-  
nocentes periclitaturos. Respondeo enim, ibidem non ad-  
esse prolata. Nam quomodò potest facti fides fieri iudici per  
testes, quos certò scit esse falsos? Ut enim probata adsint, omne  
dubium sublatum esse debet, quod non, nisi per testes omni  
exceptione majores, fieri potest, quales neutiquam sunt mani-  
festò falsi; tales enim, tantum abest, ut iudici probent atque  
fidem faciant, ut potius summè dubium eundem relinquunt.  
Ita in aliis casibus, ponderatis exactè circumstantiis, vix credo  
posse adesse Acta & Probata & contrariam Judicis scientiam. Sed  
mittam iudicem, progressurus ad partes litigantes.

### Th. II.

Hic verò se offert quæstio, *an circa animam justum sit, si  
Christianus litiget in foro?* Optandum quidem esset, ne lites in-  
ter Christianos audirentur, sed ut potius omnia amicabili com-  
ponantur transactione, quod & Apostolus suadere videtur,  
probro vertens Christianis litigantibus coram iudicibus genti-  
libus. Sed quia istatus humanus post lapsum ita comparatus  
est, ut litibus carere nequeat, (cum hominum malitia sapi-  
simè suum cuique tribuere negligat aut deneget) è re fuit con-  
stituere iudicia, ut ibi quilibet prosequatur suum. Hinc non  
puto animæ periculum incurrere illum, qui ex justâ causâ in-  
cipit litem, maximè si amicabilis compositio frustra fuerit ren-  
tata; quia qui suum jus prosequitur, injustè non agit. Illi ve-  
rò, qui ex causâ aut malâ, aut frivola, aut nullâ, saltem utque ad-  
versarium incommodis atq; molestiis litis fatigare valeant, in ju-  
diciū prorumpunt, procul omni dubio pessimè Animæ con-  
sulunt suæ; cum contra omnes leges, & maximè contra dile-  
ctionem faciant atque agant Christianam. Et ejusmodi homi-  
num pessimorum ubivis locorum fecundam proficere messem,  
vix incipias ibi ullus. Certè fatebuntur id illi, quos quotidie ju-  
dicii



dicij strepitum exaudire oportet. Huic verò malo variis remediis mederi summis studuere viribus Legumlatores, statuendo varias in temerè litigantes pœnas; maximè vero ipsos jurandi religione à limine fori retrahere voluerunt. Hinc si quis Juramentum calumniæ, malam scienter fovens causam, præstiterit, sine dubiò animæ periculū incurrit; quia perjurium committit. Id verò, quod dolendum, sæpius imò sæpissimè contingit. Nam videbis potius litigatores hodiè jurare de calumniâ committendâ, quàm omittendâ, ut scribit *Maranta in suo speculo, p. 6. t. de Juram. n. 11.* Hinc & tot perjuriarum evitandorum causa, in multis judiciis juramentum hoc generale abrogatum utpotè in Saxonîâ, vid. *N. S. D. conf. Carpz. p. 1. c. 12. d. 2.*

### Th. III.

Accessorias Judicii personas diximus esse Advocatos & Procuratores. De his vulgus quotidie ingeminat querelas, ipsos Animæ suæ aut nullam, aut certè exiguam habere rationem blaterans. Sed hæc vulgi sunt judicia, quibus sæpissimè ratio subest nulla. Qui proinde absolute iis subscribere velit, aut extreme stultus, aut summè iniquus sit censor, necessum est. Nemo enim præsumitur immemor æternæ salutis & animæ suæ; Ergo nec Advocatus; & à particulari ad Universale saltem illi argumentantur, qui præter ineptias proferre nihil norunt. Sanè nobile est & generi humano summè necessarium Advocati officium *juxta l. Advocat. 14. C. de Advocat. divers. judic.* Reperiri verò inter Advocatos, aut potius Rabulas, nobili enim Advocati nomine digni non sunt, haud paucos, qui nullâ animæ suæ curâ tanguntur, lubenter fateor, sed tales in omnibus hominum statibus deprehendere licet; Ergo nihil causæ subest, cur soli Advocati hoc nomine malè audiant. Separentur boni à malis; laudentur illi, culpentur hi. Et tollatur abusus, maneat verò usus; atque ita res erit salva. Quid verò officium Advocati postulet, meum non est hîc prolixè discutere. Unusquisq; enim qui animam suam perditum ire non cupit, sine dubio nihil faciet, quod non Justitiæ sacerdotem decet. *An Advocatis etiam in causâ bonâ fallaciis citra Animæ suæ periculum uti liceat?* Resp. quod non, quia fallaciæ res per se sunt illicitæ, ergo nunquam adhibendæ: Neque est, ut quis objiciat, in bello tamen nihil interesse,



esse, dolo an virtute quis hostē interficiat aut vincat; nam dispar  
judiciorum ratio est, ubi cuncta bonā fide agenda & iudicis sen-  
tentia committenda. Imò in ipsis quoq; bellis multum interest,  
an quis factō aliud simulet & ita hostem circumveniat, an ve-  
rò per mendacium aliud dicat, quod ne hic quidem justè fieri  
potest. Cautelis verò licitis & in jure expressis, quo minus Ad-  
vocatus utatur, nihil obstat.

Th. IV.

Tandem finem litibus imponit iudicis sententia, nisi ab ipsa  
fuerit appellatum. Sic etenim suspenditur à rei iudicata viribus.  
Missis aliis, meam saltem hoc loco facio quaestionem, *An circa  
animam justum, si quis ad vallem Josaphat seu Christi Tribunal ap-  
pellet & ita iudicis Animam in iudicium vocet?* Respondisse in-  
terdum eventum, experientia docuit, unde non frustra appel-  
lationem talem semper adhibitam fuisse patet. Quia tamen  
ita Magistratus autoritas cum scandalo proculcatur, subdito-  
rumque animi adversus jus dicentes excitantur; & quia insu-  
per leves offensiones tolerare & tràquillitati publicæ condonare  
potius debemus, quàm vindicare, disvadenda magis, quàm  
svadenda talis est provocatio, & vix unquam super ad-  
versarii personā adhibenda, quia vindicta abesse non videtur:  
causam verò justā, si à potente eadem supprimatur, innocens  
ad DEUM deferre potest. Sed quia materiam hanc ab aliis  
specialibus Dissertationibus fusius pertractatam memini;  
plura hinc facere verba de ipsa supersedeo, ne actum agam.  
Sed potius, cum tempus jubeat atque iter ad Patrios instet  
Lares, finem Dissertationi huic impono; veniam petens à B.L.  
quod Thema hocce non juxta sui meritum, quod certè exer-  
citatissimum & summā instructum eruditione postulat, sed  
juxta ingenii mei artes elaboratum exhibeam. In magnis  
enim & voluisse sat est. Tibi verò, optime Deus, gratias of-  
fero devotas pro clementer concessis viribus. Teque sup-  
plice exoro prece, ut Animam semper docere velis meam ea,  
quæ justa sunt circa ipsam, atque mihi tuo assistere Spiritu, ne  
unquam faciam, quod circa Animam meam non est ju-  
stum, idque propter illum, qui pro Animā meā victoriosā suā  
passione satisfacere sustinuit, cujus nomniis gloria, uti hujus,  
sic omnium quoq; actionum mearum semper erit

FINIS.











ULB Halle  
005 132 495

3




W 17











4/60.

1628,35  
10

**JUSTITIAM.  
HOMINIS. CIR.  
CA. ANIMAM.**

PRÆSIDE.

**JOH. GEORG. SIMONE. D.**

DEFENDET.

**DETHARD. MEPPEN.**

NORDA. FRISIUS.

JENÆ. DIE. II. MAJ. A. C. M. DC. LXXVIII.

TYPIS. MÜLLERI.

